



Colloquia theologica quibus iam tertius Liber accessit, antehac non aeditus

<https://hdl.handle.net/1874/452939>

09

2

COLLOQUIA

THEOLOGICA QVI.

BVS IAM TERTIVS

*Liber accessit, antehac
non æditus.*

Antonij Coruini.

*Omnia quàm antehac correctiora, adeoq;
ad temporis præsentis statum ac-
commodata.*

*Argento. apud Vuolf. Cæpha. Anno
M. D. LI.*

COLLOVA

THEOLOGICAL

EVANGELICAL

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

COLLOQVIORVM THEO-
logicorum Antonij Coruini
liber Tertius.

Colloquium de Sacrificio Missæ.
MITHOBIVS. POLYLOGVS.



MITHOBIVS. Hæus Poly-
lyloge, quando tu nobis ex
Italia redditus es? Ego te uix
intra triennium rediturum
existimabam. præsertim cum
studiorum caussa hinc abiens
diceres peregrinationem tuam cum longin-
quam tum diurnam fore. POLYLOGVS.
Equidem sic apud me constitutum erat hinc dis-
cedentem: sed memineras in id genus peregri-
nationibus multa accidere, de quibus iure quis
illud dicat: non putaram. MITH. Lauream
igitur ex illa studiorum altrice Italia reportas
nullam? POLY. Vacuos oculos, uacuum cri-
menam adeoque quicquid id eruditionis fuit,
quod mecum hinc abstuli, reporto, præterea
nihil. MITH. Utinam animum quoq; pietate ua-
cuum nõ reportaris, id quod ferè solèt istinc ad

DE SACRIFICIO

nos qui redeunt. POLY. Istuc quoq; facturus
eram, si abiecta Germanorum integritate, Ro-
mani Care uoluisssem. At si nescis, Epicuræo-
rum istorum impietas in caussa fuit, quo minus
Italorū durare ibi potuerim diutius. Vt eunq; enim in
laus, humanioribus literis excellenter docti sint Ita-
li, tamen à uera religione tam abhorrent omni-
um ferè animi, ut hac ipsa nihil apud eos sit de-
spicabilius. MITH. Meministi igitur quid abi-
turo hinc prædixerim? Literæ apud Italos ui-
gent, pietatis studium non uiget. POL. Hac de
re cum ego quoq; interdum liberius apud eos
garrirem, factum est, ut quod tu mihi aliquan-
do per iocum indidisti nomen id isti iam nunc
confirmarint, multiloquum uocantes, quum ta-
men meo iudicio uix inter pauciloquos nume-
rari merear. MITH. Inter pauciloquos, quem
ego scio garrulitate, $\Delta\alpha\delta\omega\nu\acute{o}\nu\sigma\ \chi\alpha\lambda\kappa\acute{o}\nu$, si opus
sit, superaturum? POLI. Tu quidem tuo mo-
re iam me rides, sed ego nihilo minus ista mea
libertate, sicubi res poscebat, in Italos usus
sum, ne tantillum quidem moratus, siue offen-
derentur, siue æquis animis dicentem audirent,
modo

modo à uero non aberrarem. MITH. Atque apud Italos, ut non semper tutum est, uerum dicere, ita etiam consu'tum non est. Quid autem si propter istam dicendi libertatem, quod Theocrito Chio apud Antigonum, Calistheni apud Alexandrum, Antephani apud Dionisium, idem tibi apud hos quoque contigisset? Profecto miror istam tibi mordacitatem tam feliciter cessisse. POLY. Ecce liciter omnia. MITH. Cui autem istam felicitatem acceptam refers? Stultitiæ ne, an iuxta Germanicū pro uerbiū stultorum tutori Deo? POLY. Certe Deo. Is enim uel iter facienti, uel in ciuitatibus aliquandiu commoranti, uel sic nuganti tam clementer ubique adsuit, ut re ipsa & manifestissime sentire, curæ eidē esse me. Quamquam ut ne ignarus sis, non ubique, non apud quoslibet, Polylogum egi. MITH. Id uel iniurato crediturus eram. Neque enim nescio quam sit prudentia istiusmodi in Italia opus. POL. Obseruabam tempus, obseruabam locum, obseruabam personas. MITH. Dextre. POLY. Sicubi in bonos incidi, & à ueri negotio non

Tutor
piorum
Deus.

DE SACRIFICIO

abhorrentes omnino, deferere ueritatis partes
 ingens apud me piaculum fuit: sed tamen ita
 linguæ plectrum hac in re sum moderatus ut
 ab effreni & petulanti insectatione eorum, qui
 propter hypocrisim in tota Germania male au-
 diunt hodie temperarim. Interim apud obsti-
 nate malos, uel silui prorsus, uel mira uerbo-
 rum parsimonia usus sum. MIT. Neq; unquam
 hoc animi tui propositum, in ea peregrinatione
 es transgressus? POLY. Bis hic ni male memi-
 ni, inter pocula per imprudentiam impegi, idq;
 Romæ. Prior lapsus, cum tollerabilis esset, neq;
 ad æstimationem sacrificorum maximopere
 pertineret, uino inscriptus est. Aliter cum in
 ignominiam & contumeliam Sanctissimi uer-
 gere uideretur, adeoq; eorum beluam hanc pro
 idolo qui adorant, ita ueniam meruit, ut nisi a
 micorum aliquot auxilio adiutus periculum
 euasissem, esca piscibus in Tyberi futurus fue-
 rim. MITH. Quod nam id erat delictum? PO.
 Audies. Sacrum die quodam summus ille Pon-
 tifex, nutu totum qui tremefacit olympum, ha-
 buit, sed tanta pompa, tanto factu, tanto adpa-
 ratu,

ratu, ut nihil supra. Ego cum me Romam frustra profectum arbitrarer, si non religionem Urbis coram uiderem, templum ingressus curiose admodum contemplatus sum omnia. **MI-THOB.** Mirum ni hypocrisi plena fuerunt omnia. **POL.** Emoriar Mithobi si quid unquam uid. uel ineptius uel superstitiosius. Nam præter uestium sacrarum luxum, asininos clamores musicorum stræpitû, pueriles aliquot cæremonias, nihil prorsus in toto illo sacro, religione nostra dignum conspiciebatur. **MITHO.** Non iniuria igitur a Lutero ac alijs bonis uiris, perinde atque ueræ pietatis euerfores perstringuntur. **POLY.** Liber est Luterus in taxanda illorum hypocrisi & perfidia, fateor. Sed ego illos iudico dignos quorum impietatem præter Luterum mordacior etiam quispiam depingat, qualis apud ueteres fuit, uel Eupolis uel Cratinus uel Aristophanes. Hi enim teste Flacco.

Roma-
nensium
fastus et
hypocri-
sis.

Siquis erat dignus describi, quod malus aut fur,
Quod mœchus foret, aut sicarius aut alioq,
Famosus, magna cum libertate notabant.

DE SACRIFICIO

MITHO . Ego uero , qui pro dignitate ac
 rei magnitudine istæc depingant , nunquàm de
 futuros arbitror commota semel per Euange-
 lij doctrinam tanta impietatis Camerina . Iam
 ut tu conspecto isto sacro adfectus fueris audi-
 re aueo, tacueris ne, an significationem commo-
 ti animi de te aliquam præbueris. **POL.** Tem-
 plo egressus continui me, sed egerrime . Pran-
 sus autem postea sum in diuersorio cum sacrifi-
 culis aliquot, qui cum uisam istam in Templo
 pompam mirifice efferrent laudibus, facta est,
 Luteri quoq; , quasi qui immerito istam Mis-
 sarum, & reliquorum cultuum celebritatem im-
 probet, mentio. Plæriq; diris omnibus bonum
 Virum deuouebāt . Plæriq; hæresin illius haud
 ita diuturnam fore iactabant. Plæriq; omnium
 Hæreticorum qui patrum memoria Ecclesiam
 afflixerint, pessimum & nocentissimum esse di-
 cebant. Quare ipsa etiam Germania digna sit,
 quæ cum monstrum hoc alat, ferro ac flamma
 ad Apostolicæ sedis obedientiam rursus adiga-
 tur. **MIT.** Atqui minis se Germani haud ita fa-
 cile in ordinẽ, excusso semel seruitutis iugo, &
 pristina

Odium
 Itatorũ
 in Lute-
 rum.

pristina libertate recuperata, redigi patientur. Sed num tibi ista uerborum petulātia bilem mouit? aut tacendo hic quoq; nebulones istos ludificatus es? Ego certē utcunq; rixosus nō sum, uix mihi à responso æquē mordaci tēperassem.

POLILO. Vino nonnihil incalueram, quōd me etiam ut cornua sumerem, adigit. Cum enim calumniandi finem facerēt nullum, & iam toties patientiam meam lasissent, adorsus tandem illos uicissim uerbis sum, sed talibus, ut omnium in me uerterem cum aures, tum oculos.

Quid? Eo me prouexit iracundia ut non solum Papam dicerem haud ita multum abesse ab AntiChristicum tyrannide, tum perfidia, uerum etiam totam illam sacrificorum ac monachorum colluuiem, quæ eidem adhærescat, quæ uel terra ferat indignam esse. Percontanti cui-dam cur istuc? Quod inquam singulis diebus Christum cruci adfigunt, quem semel crucifixisse Iudæorum gens contenta fuit. Ad hanc nocem ita perciti sunt furore omnes, eas denique turbas dederūt, iam iam magistratus opem imploraturi aduersum me, ut nisi per occultos

DE SACRIFICIO

Roma
veritatis
impatiens.

quosdam secessus, amicorum aliquot opera ad Tyberim deductus, & naui, quæ forte fortuna aderat & iam abitura sublatis uelis erat, impositus fuisset, actum de me fuerit. MITHO. Hæc si in loco dicta essent, non omnino à uero aberant. At Romæ dicere hæc, licentia est neutiquam istis tenebrionibus tolerabilis. POLYLOGVS. Et tamen negari non potest, quin Papistarum more sacrificare, Christum de nouo crucifigere sit. Quid autem uetat, quominus hac de re nonnihil colloquamur? Neque enim nescio perinde te theologicarum rerum studiosum, atq; medicinæ addictum esse. MITHOB. Corporis cura & sanitatis conseruatio, res sunt non omnino contemnendæ, præsertim cum ipsæ etiam literæ sacræ medicum honore adfici iubeant. Longè tamen hanc antecellit animi cura, cuius rationem Christus in Euangelio tradit. Quis igitur neget animorum medelam uel in primis Christiano cognitam & perspectam esse debere. POLYLOG. Dic igitur quatenus Missa sacrificium dici queat. MITHOB. Qui sacrificium Missæ, libet enim
uulgato

vulgato uti uocabulo, quando uidelicet sacrificulus Christi corpus & sanguinem Deo patri pro uiuorum ac mortuorum delictis offerre se dicit, pro satisfactorio opere accipiunt, quod & pro aliorum peccatis satisfaciat & iram Dei placet, ij mihi toto, quod dicitur, caelo errare uidentur. Quis enim tam sit demens, ut Christum semel in cruce pro peccatis nostris oblatum, contra scripturam de nouo per sacrificium offerri posse credat? Semel mortuus, semel oblatus est. Quemadmodum igitur teste Paulo, mors illi ultra non dominabitur, ita semel oblatus amplius quoque offerri non poterit. POLYLOGVS. In ea sententia ego quoque sum. Nam confirmari eandem passim in literis sacris, praesertim in Epistola Hebraeis dicata uideo. Sic enim illa habet: Una oblatione consummauit in aeternum sanctificatos. Item alibi: Christus semel oblatus est, ut multorum peccata tolleret. MITHO. Posset tamen ratione aliqua, Liturgia sacrificium dici, si quemadmodum ueteres plerique hac de re locuti sunt, ita nos quoque loqui in animum induceremus.

Missa
non est
sacrifici
um pro
uiuis et
mortuis

DE SACRIFICIO

Quate-
nus Mis-
sa sacrifi-
cium di-
cipoluit.

POLYLO. Iam aures arrigo ueterum hac de re aliquot auditurus sententiam. MITHOB. Augustinus quanquam & ipse aliorum morem secutus Missam sacrificium uocat: tamen quo pacto intelligi & accipi hæc loquendi forma debeat, exijs quæ ad Petrum diaconum de- scripsit, colligi potest. Sic enim inquit: In il- lis carnalibus uictimis figuratio fuit carnis Christi, quam pro peccatis nostris, ipse sine peccato, fuerat oblaturus, & sanguinis quem erat effusus in remissionem peccatorum no- strorum. In isto autem sacrificio gratiarum ad- Etio atque commemoratio est carnis Christi, quam pro nobis obtulit, & sanguinis quem pro nobis idem Deus effudit. An non hic sacrifi- cium cœnæ gratiarum actionem & commemo- rationem carnis Christi uocat? POLYLO. Quantum ex Augustini uerbis audio, si quis sacrificij uocabulum pro sacrificij semel in cru- ce peracti recordatione & commemoratione accipiat, is non à scopo aberrabit omnino. MI- THO. Recte. In hanc enim sententiam Chry- sostomus quoque nihil obscuris uerbis in Epi- stolam

*Stolam ad Hebraeos, sacrificium hoc, peracti
 semel sacrificij recordationem uocat. Quod si
 iterari per sacrificum posset semel illa facta
 Christi in cruce oblatio, equidem dicitur ibi
 dem non erat. Si igitur dimisit peccata per unā
 hostiam, nec dum iam opus est secunda. POL.
 Hunc ex Chrysostomo locum probe, & fide-
 liter in memoriae thesaurum repositurus sum,
 quò uidelicet habeam, quod istis qui ubiq; pa-
 trum autoritatem iactāt, uicissim obijci possit.
 MITHOB. Adstipulatur Chrysostomo diuus
 Bernardus, ut cunque superstitiosus, & mona-
 sticæ uitæ instituto deditus, ijs uerbis: Chri-
 stus pro salute mundi semel factus est hostia sa-
 lutaris, rei reconciliatio generalis. Mors Chri-
 sti opus est sine exemplo, humilitas sine mo-
 do, donum sine precio, gracia sine merito, &
 uoluit Christus ut iugiter coleretur per myste-
 rium, quod semel offerebatur in precium, &
 illa perennis uictima uiueret in memoria, &
 præsens esset semper in gratia. Quid contra
 sacrificos nostrates durius dici posset? Chri-
 stum salutarem hostiam pro salute mundi factū
 dicit*

DE SACRIFICIO

Olbatio
corporis
Christi
reiterari
non po-
test.

dicit, sed semel, adeoq; uictimam hanc & peren-
nem & perpetuam apud nos in memoria esse de-
bere. Si semel autem hostia hæc pro pecca-
tis nostris oblata est, cur oblatio eadem præ-
ter Christi præceptum iteratur per sacrificiu-
lum? POLYL. Clariora fortassis hæc erunt,
si aliquando latius sacrificij uocabulum expli-
cetur. Quare rem etiam cum gratam mihi tum
utilem feceris, si cum attentum habeas audito-
rem, fidi præceptoris officio hic fungare. MICHAEL
THOB. In genere de sacrificio ut dicam, neq;
tempus patitur, neque operæ precium est. Di-
cam igitur de sacrificio expiationis, & sacrifi-
cio eucharistico. Hæc enim ad uouum testame-
tum, uetus abrogatum cum sit, uel in primis
pertinent. POLYL. Placet. MICHAEL TH. Ac qui-
dem in confesso est, esse quoddam sacrificij
genus, quod & peccata nostra expiet, & Deo
nos reconciliet, & iram illius placet. Propicia-
torium uocant. Vere enim nisi per hoc sacrifi-
cium, propiciam in cælis patrem nunquam ha-
bituri eramus. POLYL. Probe mihi hic in-
telligere, quodnam sacrificium intelligas, ui-
deor;

sacrifici-
um pro-
piciato-
rium.

MISSAE.

deor, nimirum illud quod per pontificem Christum, semel Deo patri pro peccatis nostris in cruce, ueluti supra diximus, oblatum est. MIT. Nihil falsus es. Fuerunt autem ueteris testamenti oblationes & uictimæ, quarum ut Deus auctor: ita Moyses promulgator fuit, huius sacrificij ceu typus & figuræ quædam. Nam quod apud Iudæos summus pontifex, cui soli in sancta sanctorum, sed stato tempore, ingredi permittebatur, fuit, id iam nunc abrogata lege apud nos Christus est, ut qui solus, idq; semel, pro peccatis nostris, non sanguine hircorum aut uitulorum, sed proprii corporis immolatione rite perlitarit. POLYLO. Verissima sunt hæc & mea quidem sententia talpis cæciores sunt qui non sine grauissima meritorum Christi contumelia aliud expiationis sacrificium, ac Christum ipsum faciunt. Cur autem non potius hic quid ea de re epistola ad Hebræos dicat, expendunt? Christus, inquit, pontifex futurorum bonorum, non per sanguinem hircorum aut uitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuen-

DE SACRIFICIO

Oblatio
 nes, et sa
 crificia
 in ueteri
 lege non
 habebat
 remissio
 nem pec
 catorum

ta. MITHOB. Belle huc quod citasti quadrat
 testimonium. Sed uide num hæc quoque clara
 sint: Nunc autem semel sub consummationem
 seculorum ad profligationem peccati, per im
 molationem sui ipsius apparuit, Item: Omnis sa
 cerdos (ueteris uidelicet testamēti) assistit quo
 tidie sacra peragens, & easdem sæpius offe
 rens hostias, quæ nunquam possunt aufferre
 peccata. Hic uero, una pro peccatis uictima
 oblata, perpetuò sedet ad dexteram Dei, et cæt.
 Hiloci & introspecti diligenter, & probe per
 pensi, remissionem peccatorum ijs etiam sacri
 ficijs, quæ apud Iudæos præceptum Dei habe
 bant, adimunt, ut quibus legis tantum & exter
 na iustitia, coram Mosis politia redimebatur.
 Iam si in ueteri lege, etiam præcepta à Deo sa
 crificia peccatorum remissionem non impetra
 bant, quis nostrates sacrificos excogitato ab
 hominibus sacrificandi ritu, eandem impetratu
 ros cum sibi tum alijs credere audeat? POLY.
 Me profectò opinionis huius approbatorē nun
 quam habituri sunt. Quid? Quam non fuerunt
 efficaces apud Ethnicos uictimæ, cum uideli
 cet Calo

MISSAE

cet Caper & Asinus Bacho, Cereri porca, Diana cerua, Neptuno taurus, Gallus gallinaceus nocti, Maia sus praegnans, Fauno capra offerebatur, tam puto & nostratum sacrificorū sacrificia esse inefficacia, cum neq; praecceptum Dei neq; uerbum habeant, sed in uniuersum ab hominum traditionibus pendeant.

MITHO. Laudo constantiam. Vere enim Missatores isti, neq; pro se ipsis neq; pro alijs, istiusmodi Sacrificio perlitare possunt. Vni & soli Christo hic honor tribuendus est. Is cum animam suam pro delictis nostris dederit hostiam, ueluti Esa. 53. testatur, quis nō eandem sententiam perpetuo ratam in Christianismo esse oportere credat ex animo? Tolle è rebus mortalium huius Pontificis sacrificium, & perfidiae ac incredulitatis plena erūt omnia. Rursus pro rato istuc ipsum habe, & spiritualiū bonorum plena erunt omnia. **POLYLO.** Ego gratia Deo persuasissimus sum, hoc unico Christi sacrificio deleta & profligata esse hominū si credant, peccata omnia, purgatas esse à mortuarijs operibus credentiū conscientias,

Christi
folius sa-
crificio
peccata
nobis cō-
donatā
sunt.

B sanctifi-

DE SACRIFICIO

sanctificari in ueritate qui hac de re non dubitent, Breuiter, patefactam esse ijs, qui à sacrificij huius cum merito tum dignitate pendeant, idq; per fidem, regni cœlestis ianuam. **MITHO.** Sic credere, iustificari est, uel uniuersa scriptura teste: mortuus est Christus, inquit ad Rom. Paulus, propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostri. Hæc si fides & adprehenderit et certa esse (sunt autē, certissima) statuerit, certò remissionē peccatorum, iustitiam, et uitā æternam adsequetur, etiamsi nulli unquam Papistico sacrificio intersutura sit. Verbum hic et cœne cœremoniã habemus nos, per quæ thesaurus istiusmodi distribui solet, eoq; hypocritico isto Missæ sacrificio haud quaquã indigemus. **POLY.** Puto tamen in cœnæ negociū *ἱερατικόν* sacrificiū admitti posse. **MTIHO.** Quid ni? Quòd si Papistæ cum de Missæ sacrificio uerba faciūt, *ἱερατικόν* hoc intelligerent, certè minus contentionū esset. Quia uero ineptissime hic definiētes garrūt, Missam expiationis esse sacrificiū, quod pro uiuis & mortuis quotidie oblatū, tollat et deleat,

sacrificij
gratiarum
actionis

MISSAE.

deleat, non solum uenialia uerum etiã mortalia peccata omnia etc. merito ab istis a sinis sacrificij propiciatorij dignitas per Luterum uendicata, et solũ ^{in uox apistice} in cenã Dominicam, quod quidẽ per nos offerri Deo possit, admissum est. POLY. Thesaurus iste in cenã credẽtibus per uerbũ qui distribuitur, tãtus est ac talis, ut nihil tam sit in terris præciosum, quod uel a ratione cõparari eidẽ possit. Neq; enim parua res est, à peccatis liberari, iustum corã Deo pronunciari, adeoq; uita æterna donari, idq; per Christum gratuito. Quod cũ ita sit, ualde iniquũ meo iudicio esset, si nõ uicissim gratitudinẽ erga tam propitium deum declararemus aliqua laudando, honorando et gratias pro tantis beneficijs indefinẽter eidem agendo. Hoc enim gratiarũ actionis sacrificiũ sibi uelle arbitror. MIT. Istuc quis neget, cum & præceptũ Dei hac in re manifestũ habeamus, et ipse etiã spiritus sanctus parere motus huiusmodi in corde credentiũ soleat? Immola, inquit liber Psalmorũ, Deo sacrificiũ laudis et redde altissimo uota tua. Et Malachiæ. 3. dicitur: Purgabit fi-

sacrificiũ
um gra
tiarum
actionis
preceptũ
dei ha
bet.

DE SACRIFICIO

lios Leui, et colabit eos quasi aurū et quasi ar-
 gentū, et erunt domino offerentes sacrificia in
 iustitia, et placebit domino sacrificiū Iuda etc,
 Dubiū non est, quin de Messiaē tēporibus hæc
 accipienda sint. Quare utrūq; etiam noui Te-
 stamenti sacrificium locus hic cōplectitur. De
 expiationis sacrificio, quo nobis semetipsū of-
 fert, intelligendū est quod dicit: Purgabit fili-
 os Leui etc. Quemadmodū enim à peccatis ni-
 si per Christum purgari nō possumus, ita per
 eundē filij etiam Leui, hoc est Sacerdotes con-
 stituimur, quos nō aliter atq; aurum et argentū
 colaturus est. De sacrificio uero ^{ἱεροχρησιμῶς} ac-
 cipiendū est, quod dicit: Offerent domino in
 iustitia. Cum enim sacerdotiū nunc regale cre-
 dentes facti simus, æ quū est, ut gratitudinis sa-
 crificiū pro tanto beneficio eidem etiā indesi-
 nenter offerre pergamus. POLY. Vere medi-
 cum iam agis, non quidē corporis, sed uulnerū
 animæ. Quis enim tantā à medico Theologica
 rū rerum peritiam expectasset? Audio quidem
 et libenter credo, sacrificia hæc gratiarū actio-
 nis ad Christianos ex æquo omnes pertinere,
puto

MISSAE.

puto tamē unius generis nō esse omnia. MIT.
 Qui theologiā nostris temporibus profiten-
 tur, duplicia faciunt eorū qui credunt opera,
 quæ ex duabus illis decalogi tabulis peti pos-
 sint. Quid igitur uetat, quo min⁹ nos quoq; in
 hoc gratiarū actionis negocio, duplicia sacrifi-
 cia faciam⁹? PO. Nihil prorsus. MIT. Sint igi-
 tur prioris generis sacrificia, quibus animi no-
 stri gratitudinē erga deum declaram⁹: fiducia
 misericordiæ, timor dei, mortificatio, inuoca-
 tio, ueritatis cōfessio, laus dei, et pro omnibus
 beneficijs siue spiritualibus siue corporalibus
 iugis gratiarū actio. Nam id genus hostiæ, cū
 ad cultū dei germanū, tam internū quàm exter-
 nū pertineant, nō possunt non deo suauissimus
 odor esse. PO. Mirū nisi iuge illud sacrificiū,
 quod futurum in Ecclesia propheta prædixe-
 rūt omnia hæc cōplectitur. MIT. Tenes. Inte-
 rim uero secūda quoq; tabulæ opera, ceu sacri-
 ficia quædā esse memineris, quæ ad alterā Eu-
 charistici sacrificij classē pertineāt. An non
 enim grati animi certissimū est indicatiū, parenti-
 bus ac magistratui, in gratiā eius qui hoc ipsū

DE SACRIFICIO

præceperit, obsequi? ab homicidio, ab adulterio, à furto, à rapina, ab omnis generis peccationibus, à falso testimonio, breuiter, ab omnibus ijs, quibus lædi proximus possit, abstinere?

POLY. Qui sic erga proximū impulsore spiritu adfecti sunt, eos ego rem deo gratā modis omnibus facere arbitror. Tantiū abest, ut id genus opera pro grati animi inditijs non habeā.

MITHO. Possunt autem in speciem incredulū quoq; hisce de reb⁹ et loqui præclare, id quod uel solus Tullius satis arguit, et re ipsa præstare aliquid, edocti nimirū per naturæ legē, neminē esse lædendū. Sed quia quicquid hui⁹ faciunt, ex fide nō faciunt, ergo etiā plane nihilo magis deo possunt hoc sacrificij genere, atq; ij qui quondam Hecatoniben, Lupercalia, Meditrinalia, Nouēdialia, Fontanalia, Penetralia, Cōsualia, et reliqua id gen⁹ sacrificia excogitarūt.

PO. Huc pertinere arbitror illud: fide ampliorē hostiā Abel quàm Cain obtulit deo, per quā testimonium consecut⁹ est esse iustus: testimoniuū perhibente munerib⁹ eius deo, et p̄ illam defunctus adhuc loquitur.

MITHO. Ad hunc

Lexna
 cur.

MISSAE.

hunc modum nostra quoq; sacrificia, si fidei il-
 lecebra ac condimentum desit, deo haud qua-
 quam placitura sunt. Quanquam quid ego te
 multis hic moror? E suggestu quotidie hæc do-
 centur, ad hæc, legere ipse quæ hisce de rebus
 scripta hodie extant, potes ut me doctore &
 magistro opus nõ habeas. PO. Hæc igitur eo-
 rû quæ dixisti hæctenõ summa est. Sacrificij uo-
 cabulũ in cenæ negocium, nisi uel pro sacrifi-
 cij semel peractũ recordatione, uel pro gratia
 rû actione sumatur, non cõpetere. ML. Expia-
 tiõis sacrificiũ semel in cruce per Christi mor-
 tẽ peractum est, ita ut quotquot fide eidẽ ad-
 hærescunt, certo remissionem peccatorũ iusti-
 tiam, & uitam æternam consecuturi sint. Ite-
 rari igitur non potest per sacrificiũ. Ad uero sa-
 crificium Eucharisticum tam ad Christianos
 omnes pertinet, quam est certum, innumera in
 nos diuinitõ beneficia, collata esse, p quibus in
 re deo gratias agere debeamõ. Perpetuum igi-
 tur et iuge apud nos sit, necessum est. PO. In-
 telligo, haud ita facile posthac diuersã secutu-
 rõ sententiã, ML. Vale igit, et cũ semel ad theolo-

Fides
 omnia
 condat
 necessũ
 est.

DE POTESTATE

giæ studiū adieceris animum, da operã ut aliquando pro Polylogo fias theologus. PO. Fiet. Colloquiū de potestate Ecclesiastica & conciliorum Autoritate.

Nidanus. Melander. Albulanus.

IN hesterno colloquio quid tibi uel arriserit potissimū uel displicuerit, rogo te mi Albanane, ut ne me celes, Nam ipse quoq; nō graua bor postea, quid mihi hic acciderit, fateri. ALBV. Si uerū fateri licet, uarie animū meū Thraso iste, cū tanta nobis de Romano Pontifice, si quādo celebretur Conciliū, polliceretur, ad fecit. Quōd si in tēpore finem dicendi nō fecisset, certe idem mihi, quod Canidiæ priapi sacra spectanti, accidisset. Usque adeo molesta fuit adulatoris istius oratio. NIDA. Eandem apud me quoq; gratiam iniit. Neq; enim uerisimile est, cum sancta illa Petri sedes solis malis ferendis tam diu adsueuerit, unum aliquē qui frugi sit, exoriturū unquā esse. Habet medicorum uulgus morbos aliquot nulla arte curabiles, quales sunt, Corcy noma uel cancer, Elephantiasis, Herculanus, & alij plerique.

Inter

ECCLESIAE.

Inter hæc mala si quis inueteratam quoq; Romanorum pontificum malitiam numeret, eum ego non omnino desipere arbitrabor. Nam ut confirmatorum morborum cura longè omnium est difficilima, ita animorum quoque malitia, si confirmata sit, sanatur egerrimè. Curam neq; sedes illa admittit ullam, neque is qui eidem infidet. ALBVL. Numerant historiæ orbis miracula septem, Pyramides uidelicet Nilii, Turrim phariam, Muros Babilonis, Templum Dianæ Ephesiæ, simulachrum Mausoli, Colossium solis apud Rhodios, & simulachrū Iouis Olympici, quibus plerique etiam Cyri Mædorum regis domum addunt. His ego nonum additurus essem, Romanam uidelicet sedem, si uel mica Petrinæ pietatis depræhendi in ea posset. Sed uereor in hanc Terentianum illud uel in primis competere: Mala mens, malus animus. NIDANVS. Ut tecum sic sentiam, multæ res in caussa sunt, sed quas enumerare hic prorsus superuacaneum duco. Quorsum enim enumerare ea adinet, quorum commemoratio uoluptatem nullam, tædium uero maximū habeat?

Roma
na sedes
nulla ar
te cura
bilis.

Vnum

DE POTESTATE

Cōciliū .

Vnum hoc silentio præterire nõ possum, quòd tam diu uana futuri concilij spe nostros & lætauerunt & ludificati sunt. Vicunq; enim adfluctis & accisis Germaniæ rebus consultum fingant cupere sese, tamen res ipsa clamitat nihil ab istis hac in re uel dici uel fieri serio. ALBVL. Heus Nidane, uide quid dicas. Ego istos serium quiddam in animo habere audio. NIDANVS. Quod nam? ALBVL. Vt & principibus arma siue iusta siue iniusta induant, & Germaniam cædibus & sanguine inudent. NIDAN. Istuc equidem serio agere illos credo. Pro Ecclesiarum pace ac concordia maxime sollicitos esse non credo. ALBVL. Ecclesijs, quod scis, cõsuli alia ratione non potest, atque si liberum Euangelij doctrina cursum habeat. Iam si Euangelij prædicationem permiserint liberam, quid futurum putas de illorum opibus, fastu, tyrannide, & potentia? Nam hæc si cõstare Euangelica ueritas debet, istis rerum dominis, ut quidem uideri uolunt, an iure diuino permitti possint, nescio. Quis ergo credat serio de reformandis ecclesijs sollicitos

ECCLESIAE.

licitos futuros, qui se omnium primos, si liberum ac Christianum concilium celebretur, sciunt in ordinem redigendos esse? Prouerbio dicitur: Aegrotum dum spiret sperare. Ego uero prorsus nihil spei hic superesse puto, præterquam ut adueniens in maiestate sua Christus, has lites, has controuersias, dirimat, adeoque tantorum malorum finem ipse faciat. **NIDANVS.** Vinam istuc quam celerrimè fiat. Nam ipse quoque omnino de pontificis Romani, Carnalium (hà lapsus sum Cardinalium dicturus eram) & Episcoporum resipiscencia despondi animū. Multorum hactenus animos Christiani & liberi concilij celebrandi spes erexerat. Sed quis non uidet istas quoque promissiones uanas esse? Indicebatur quidē, cum conuentus principū Schmalcaldie ante trienniū esset, sed ijs legibus, eo loco, ut palam appareret, re actā, non seriam agi. Principio Mantua, deinde Vincentia ei negotio deputata est, eo haud dubiè consilio, ut uel periculi magnitudine, uel itineris difficultate nos absterrerēt. Certo enim sciebāt, cū Italorum tū Venetorum nobis fidē

suspe-

Nulla
spes re
forman
dæ eccle
siæ.

DE POTESTATE

suspectā esse, eoq; indictū cōciliū recusaturos.
Huc adde, quòd quasi iam debellatum esset,
nullam doctrinæ nostræ uel rationem uel co-
gnitionem permissuri, sed indicta caussa non
auditos, non cūuictos oppressuri uidebantur.
Quod ipsum cum minime dubitarent non latu-
ros nos, uoluerunt uel ad tempus id genus præ-
stigijs orbi uendicare sese, quasi nos concilium
recusaremus, quod ipsi modis omnibus expe-
terent. ALBV. *Credo ut sunt fraudulenta Ita*
lorum ingenia, uerissima esse hæc. Quid quòd
in proximis Francoforti habitis comitijs, pari
consilio impositum nostris est? Vtraque pars
Nurembergam, bonos aliquot & doctos ui-
ros, tentandæ de nouo concordia gratia, mis-
sura erat. Præscriptus dies nimirum prima Au-
gusti abiit, quid obsecro huius factum est? Ri-
dent, profecto rident Papistæ non tam nos,
quibus pessimè uolunt ex animo, q̄ ipsum etiã
Cæsarem, cuius tamen maiestatem egregiè reue-
reri se simulant. NIDA. *Apertiora sunt hæc,*
quàm ut negari possint. Vere ridemur & con-
temnimur. ALBV. *Quid igitur facto opus esse*
putas

Condi-
 ones in
 dicti cō
 ciliij.

Cæsare
 etiam Pa
 pistæ ri
 dent.

ECCLESIAE.

putas tu? NIDAN. Ego caussam hanc ei, ad quem proprie quicquid hic cōtrouertitur, pertinet, committendam censeo. ALBVLA. Non immerito. Sed interim nostri sunt opinor, quibus in rebus ista, quam sic iactant, ecclesiae & conciliorū autoritas sita sit, docēdi. Quin ipse quoque si molestum tibi non esset, quid hac de re ex scripturis & patrum scriptis dici posset, audire cuperem. Video enim plerosque ex ijs qui aduersariorum partibus fauent, ualde confidenter iactare Romanæ ecclesiae potestatem.

NIDAN. Vel lippis & tonsoribus iam notum esse conueniebat, falso sibi eam potestatem, quæ toti ecclesiae donata sit, & deinceps per Ecclesiam uerbi ministris ex æquo omnibus, arrogare Romanū pontificem. Quòd si, qua in re sita hæc sit, quæris, cōsistit in docendi Euan gelij munere, in administrandorum sacramentorum prouincia, denique in publicè facinorosis, uel excommunicandis si admoniti bis atque iterum non resipiscant, uel rursus recipiendis & absoluendis, si agnito errore resipiscere & in uiam redire uolent. ALBV. Exigi ab ijs qui ecclesijs

Ecclesiae
potestas
qua in
re sita
sit.

DE POTESSTATE

Doctri
na.

ecclesijs præsumt, doctrinam uerbo Dei per
omnia consentaneã, toties et legi ipse in Euãge
licis & Paulinis literis, & ex concionatoribus
audiui, ut nullus hac de re dubitem. Quid enim
clarius de hac docendi prouincia dici potuit,
atq; illud; Euntes in uniuersum orbem prædica
te Euangelium omni creaturæ? Et Paulus eius
modi Episcopum in dicatis Timotheo & Tito
epistolis requirit, qui & in docendo sit potens
& etiam aduersarios, sicubi exorti ueritatem
impugnent, conuincere possit. NIDA. Recte
dicis. Memineris autem summam in hoc docen
di officio cum seueritatem tum diligentiam re
quiri. Adeoq; cardinem omniũ in ecclesia rerũ
in hoc uerti, ut syncerè, purè, cãdidè doceatur
uerbum. Cum enim regnum Christi, siue ma
ius Ecclesia, tale regnum sit, quod neq; armis
neq; gladijs neq; humanis legibus, sed Euange
lij sceptro tantũ administrari debeat, sequitur,
Viciato uerbo, Ecclesiæ pessimè prospici. Imò
si uerũ fateri uolumus, an non præsentem eccle
siarum tot modis adflictarum statum & deso
lationem, ijs debemus, qui uerbo uel neglecto
uel

viciato
uerbo ec
clesijs cõ
suli non
potest.

ECCLESIAE.

nel contempto, humanas traditiones in orbem
 inuexerunt? Hic enim statim illud tot ceremo-
 niarum & rituum externorum mare subsecu-
 tum est, quo propemodum tota in Christianis-
 mo suffocata & extincta est pietas. ALBVL.
 Puto ijs rebus etiam ueram sacramentorum
 administrationem bona ex parte uiciatam esse
 & usum eorundem germanum neglectum. NI-
 DANVS. Nihil falleris. Imò & numerus au-
 ctus est, cum tamen Augustino teste, numero
 sint paucissima Ecclesiae sacramenta. ALBVL.
 Synceriores theologos, imò ipsum quoq; iam
 abs te citatum Augustinum, duo tantum nume-
 rare audio. NIDA. Non nego. Et quidem meo
 iudicio recte pro sacramentis noui testamenti,
 Baptismus & Eucharistia tantum habentur.
 Nam Christi tum uerbum tum præceptum ha-
 bent, ueluti Euangelicæ indicant literæ. Qua-
 re etiã administratio quoq; illorũ ad potestatem
 Ecclesiae pertinere existimãda est. An non Chri-
 stus enim de baptisãdi officio Eũtes, inquit, be-
 nediçate oēs gētes? Et Paulus de ccena domini-
 ca: Accepi à domino, inqt, qđ et tradidi uobis.

sacramē-
 torũ ad-
 ministra-
 tio.

DE POTESTATE

Excōmu-
nicatio.

Si à domino, quod in cœnæ negocio Corinthijs tradiderat, accepit, quis sacramentorum ergo administrationē ad ecclesiasticā potestatem pertinere neget? ALB. Superest excōmunicatio, uel excōmunicati, si resipiscere uolet, in ecclesiam receptio, quæ & ipsa haud dubie ad potestatem huiusmodi pertinet. NIDA. Nihil certius. Huc enim accōmodari potest quod in Euangalio Apostolis ex æquo omnibus dicitur: Quodcunque ligaueritis super terram, erit ligatum & in cœlo. Item: Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. ALBVLA. Et Pauli opinor exemplum huc pertinet, Corinthium propter stuprum cum nouerca perpetratum Satanæ tradentis. NID. Dextre. Sed est quod hic diligenter obserues, nimirum quicquid in administratione harum rerum fiat, non nostro arbitratu, sed iubente & præcipiente Christo fieri. Is enim & Euangelij & sacramentorum & excommunicationis autor & institutor est. Quare etiam non immerito alicubi ad apostolos ac omnes illorum successores inquit; Qui uos audit, me au-

dit.

Ecclesiæ
potestas
Christi
potestas
est.

ECCLESIAE.

dit. Qui uos spernit me spernit, ad Apostolos inquam hic uerba facit et illorum successores, qui nihil ab Euangelij doctrina diuersum docent, adeoq; recte Sacramentis & concredita sibi in excommunicando & absoluendo potestate utuntur. Ne quis Romanensium tyrannidem ui & fraudulentia haectenus usurpatam, tueri me ac adprobare arbitretur. ALBVLA. Cur non potestatem hanc propter perspicuitatem in partes secas? Aut ego enim fallor aut Melanchihon quoq; noster partitionē patrū, qua & ordinis et iurisdictionis potestatem statuunt, nō omnino improbat. NIDA. Equidem nunquam mihi eorum institutum placuit, qui abs re & nulla necessitate adacti, cornicum oculos, iuxta prouerbium, configere solent. Si quid enim benedictum est à patribus, quis tam arrogans, tam superciliosus, tam imprudēs sit, reijcere istuc ut audeat? Recte autem partiuntur, cum ordinis potestatem ad docēdi prouinciam, iurisdictionis uero ad excommunicationis & absolutionis usum referunt. Quis enim neget docendi Euangelij potestatem habere,

C qui

Potestas
ordinis
& iuris
dictio
nis;

DE POTSTATE

qui legitime ab Ecclesia ad huiusmodi munus
 uocati sint? Quis præterea Episcopi aut con-
 cionatoris autoritatē, si præfractos, rebelles,
 blasphemos, contemptores, post unam atq; itē
 alteram admonitionem contemptam, è contu-
 bernio piorum eiectis excommunicet, eleuare
 aut contemnere audeat? Certè si recte hic cō-
 cionatores funguntur officio, tam contemni
 non debent, quam Christus ipse si præsens ad-
 esset. Quicquid enim huius faciunt, non pro-
 pria sed aliena potestate faciunt. Quæris cuius?
 Christi uidelicet qui per hosce ceu lega-
 tos regnum suum, hoc est, Ecclesiam admini-
 strari uoluit. Hinc Paul⁹ dicit ad Corinthios:
 Legatione pro Christo fungimur tãquàm deo
 per nos exhortante. ALBV. Pulchre. Sic enim
 de concionatorũ potestate, sacris literis edo-
 cta, ego quoq; hæctenus sensi. Cum pœnitenti-
 am urgent, cum remissionem peccatorum do-
 cent, uerbis illorum non aliter fidem habendã
 iudico, atq; ipsi Christo si præsens adesset.
 Vere enim peccata contritis corde & creden-
 tibus remittere possunt, non quidem sua sed
 Christi

Peccata
 quomodo
 concio-
 nator
 res remit-
 ant.

ECCLESIAE.

Christi potestate, cuius hic uices agunt. Parē
 fidē ijsdem etiā deberi credo cum uel pueros
 tingunt uel coenae negociū peragunt. Quis e-
 nim inficias hic eat, hanc sacramentorū admi-
 nistrationē, quae iuxta Christi & institutum
 et praeceptū fit, efficacem non esse? Efficacissi-
 ma est, nō quidē eius à quo administrat, autori-
 tate, sed eius à quo administrari iussa est pote-
 state. Eandem potestatem excommunicantibus
 quoq; publice flagiciosos, et resipiscentes reci-
 pientibus tribuo. NIDA. Utinam de bonis &
 frugis cōcionatoribus, quotquot Christū profi-
 tentur, ad eum modū sentirent. Bona mortali-
 um pars in hoc tantum, si quid alicubi, per hu-
 manam imbecillitatem delinquant, defigit ocu-
 los. Quasi uero humanum erratum, isti mini-
 sterio & officio, quod nō hominis sed Christi
 est, uel tantillum derogare possit. Spectan-
 dam in ijs rebus non ministri (etiā si hunc
 quoq; inculpata uita modis omnibus deceat)
 sed ei⁹ à quo ministeriū hoc institutū est, digni-
 tatē censeo. ALBV. Equidem scio praeposte-
 ra hic esse uulgi iudicia & indignius etiam

DE POTESTATE.

concionatores tractari hic interdum, atq; mi-
 nisterij huius ratio exigebat. Olim legatorum
 prophanorum etiam fuit, semper inuiolabilis
 apud omnes gētes autoritas, ueluti uidere est,
 in historijs solum crucifixi istius Christi lega-
 torum nulla usquam habetur ratio. Sed quid
 facias? Non ferunt alios fructus hæc tempora.
 Adhæc, adimpleri illud à Christo Apostolis
 prædictū oportet: Nō est seruus maior domino
 etc. Si me persecuti sunt, & uos persequent.
 Vnū hoc demirari satis non possum, cum admi-
 nistratio hæc tum doctrinæ tum sacramento-
 rum tum excommunicationis in regno Chri-
 sti spiritualis sit, quæ res Romanum Pontifi-
 cem cum ista Episcoporum & sacerdotum o-
 mnium colluie, in tantum honoris, & pote-
 statis fastigium euexerit. Neq; enim ullum in
 scripturis locum extare existimo, unde tanti
 fastus, tantæ pompæ, tanti in omnes homines
 imperij confirmatio peti possit. NIDA. Domi-
 nandi libido, tyrannidis amor, diuitiarum &
 honorum appetentia. Cæterum quibus princi-
 pio artibus, quibus technis, quibus rationibus
huc

Concio-
 natores
 omni-
 bus in-
 uisi.

Quæ res
 Roma-
 nū Pon-
 tificē in
 tantum
 fastigiū
 euexer-
 unt.

ECCLESIAE.

*huc peruenerint, quantum huius rei gratia cū
 Constantinopolitano Episcopo certamē susce-
 perint, quibus artificijs Phocam Imperatorem
 Bonifacius in hanc suam sententiam pertraxe-
 rit, longum esset enarrare. Et ego hic ab histo-
 ria tam odiosa tanto abstineo libentius, quanto
 certius est multa hac de re ab acutis hominib⁹
 & scripta & disputata esse. Certè eò gradum
 tyrannis hæc fecerat, ut ni id genus scriptis
 miseræ Germaniæ subuentū fuisset, omnes in
 miserrimā seruitutem ducēdi fuerimus. Quòd
 ad scripturam adinet, ne iota quidem unum,
 quò illa tam latæ iurisdictionis uniuersitas pro-
 bari possit, in medium unquam attulerunt, nisi
 forsā ineptissimum illud nugamentum, quod
 in eum locum quide clauibus apud Matthæū
 capite. 16. habetur, commenti sunt, recipere &
 amplecti quis uolet. ALBV. Quin tu igitur sa-
 num eius loci intellectum, dum otiosi hic con-
 fabulamur, ostēdis? Neq; enim dubiū est, quin
 ex ipsis etiam patribus, si diligenter discutian-
 tur, primatus iste subuerri possit, nisi me forte
 fallunt excerptæ aliquot ex iisdem in hunc*

DE POTESTATE

Locus
de clauibus
explicatur

usum sententiæ. NIDA. Faciam quod rogas, sed breuiter. Percontatur Christus Matthæi. 16. discipulos omnes, quid de se passim homines dicant, & quem se esse credant. Quorum omnium nomine cum Petrus respondisset, quod à plerisque Elias, à plerisque Ioānes, à plerisque propheta quispiā esse crederetur, percontatus est iterū, ipsi autem quē se esse existimēt? Tu es, respondit Petrus, fili⁹ Dei uiui, cui confessioni uicissim Christus magnificā illam de clauibus promissionē subiecit, ueluti apud Matthæū uidere est. Atq; ex hoc textu cū primatū tum tyrannidē suam hætenus confirmauit Roman⁹ Pontifex. Sed age dispiciamus ipsi quoq; locū hūc aliquāto penitus, haud dubie uisuri, recte ne an falso eundē interpretetur. AL. Hoc uolebam. NIDA. Principio quod Christus omnes ex æquo Apostolos interrogarit, ex ipso textu luce clarius liquet, neq; uocari indubiū potest. Deinde quod parem cum Petro potestatem omnibus etiam ex æquo tribuerit, & in Petri personam, qui omnium nomine responderat, quod debeat omnium esse officium ostēderit.

ECCLESIAE.

derit, hinc palam fit, quod statim capite unde
 uigesimo generatim omnibus dicit: Quod-
 cunq; ligaueritis super terram erit ligatum &
 in caelis. Quodcunq; solueritis super terram
 erit solutum & in caelis. Item ex illo Ioannis.
 Insufflauit in eos & dixit: Accipite spiritum
 sanctum. Quorumcunq; peccata remiseritis,
 remittentur eis etce. An non hic ad omnes in
 genere loquitur Apostolos? Quod si prae-
 rogatiuam in docendi officio primatus aliquam,
 praeter caeteris habere Petrus debuisset, clario-
 ribus profecto uerbis hoc ipsum Christus indi-
 caturus erat, neq; postea dicturus: Abi a me
 Satana, non scis ea quae sunt. ALBVLA. Pu-
 to hoc quoq; mysterio non carere, quod ad Pe-
 trum dabo inquit, cum a resurrectione dixerit:
 Accipite etc. Quis enim hinc non uidet, apud
 Matthaeum in Petri persona Apostolis omnibus
 promissum esse, quod postea apud Ioannem omnibus
 ex a quo largitur? si? NI. Bene colligis. Sed ui-
 deam? ipsos etiam mihi hac de re patres. Diuus
 Hieronymus nihil obscuris uerbis in Matt. ca.
 16. dicit: Petri confessionem illam, tu es Christus fili

Parem
 Aposto-
 li pote-
 statem
 habent.

DE POTESTATE

De fide
ad Petrū
diaconū
li. 1.

dei uiui, omnium Apostolorum nomine facta esse.
Si omnium nomine facta est, quis ergo dubitet
promissionem quoque ad omnes in genere Aposto-
los et per consequens ad uniuersam Ecclesiam
pertinere? Huc refer illud Augustini: Pœnitentia
peccatori prodest, si eam in Ecclesia ca-
tholica gerat, cui Ecclesie uidelicet, Deus in
persona beati Petri ligandi soluendique tribuit
potestatem dicens: Quæcumque alligaueritis super
terram erunt alligata et in cœlis etc. Quid ijs
uerbis apertius? Sed uidere iam nunc est ope-
ræ precium quam muliebriter hic urgeant, pro
nomen tu, & uoculas hæc, Petrus et Petra.
Hic enim planè se palmarium reperisse existi-
mant, quod proprie ad Petrum dicatur: Tu es
Petrus, et super hanc petram ædificabo Eccle-
siam meam. ALBV. Hunc uero locum ut aliter
accipiamus, atque isti somniant, necessitas ipsa
cogit. Neque enim uerisimile est, Christum su-
per eum hominem, cui postea dixerit: Abire-
tro satana, fuisse ædificaturum suam Ecclesiam.
Sed finge uera hic loqui Papistas. Vbi ergo cõ-
spiciebatur promissionis huius ueritas: portæ
infernæ

ECCLESIAE.

inferi non præualebunt aduersus eam, cum coram summo præside Christum ter abnegaret Petrus? Aut Christum abnegare ab inferorum portis uinci non est? NIDANVS. Per petram Christum intelligi, ipsa etiam scriptura testatur, dicens: Petra autem erat Christus. Quia uero Petrus hanc petram, hoc est Christum, recte fuerat cōfessus, factū est, ut et à fidei firmitudine dictus sit Petrus, & statim audierit, super petram Christum, quem ad eum modū compræhendi & prædicari oporteat, ecclesiā etiam fundandam esse. Sic Augustinus super Iohannem locum hunc interpretatus: Petrus, inquit, uniuersam significabat ecclesiam, quæ in hoc sæculo diuersis tentationibus, uelut imbribus, fluminibus, tempestatibusq; quatitur, & non cadit, quoniam fundata est super petram, unde & Petrus nomen accepit. Non enim à Petro Petra, sed à Petra Petrus: sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo uocatur. Ideo quippe ait dominus: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meā, quia dixerat Petrus: Tu es Christus filius Dei

Petra
quid.

Tracta.
124. ca.
21.

DE P O T E S T A T E

uiui. Super hanc ergo, inquit, petram quam cō
 fessus es ædificabo ecclesiam meam. Petra e-
 nim erat Christus, super quod fundamentum
 etiam ipse ædificatus est Petrus. Hactenus Au-
 gustinus. Huc pertinet quod Cyrillus de ado-
 ratione in spiritu sancto libro primo inquit, Pe-
 trum repræsentare Christum. ALBVLAN.
 Egregia me hercle hæc est, ex Augustino ci-
 tata expositio. Sed quid clauium nomine Papi-
 stæ accipiunt? quid soluere? quid ligare uocant?
 Mirum ni hic quoque magistraliter se dede-
 runt & nugati sunt. NIDANVS. Me uero
 eorum, quæ de claue cum potestatis tum dis-
 cretionis, de claue errante & non errante, tam
 pueriliter commenti sunt, omnino pudet. Tan-
 tum abest ut dicere libeat. Extat ea de re Lu-
 teri libellus eruditissimus, è cuius lectione hau-
 rire hæc potes. Nos patrum hic sententiam
 uidebimus. ALBVLANVS. Placet.
 NIDANVS. Augustinus clauem uocat,
 quæ ad fidem dura pectora reseret, mentium
 secreta pandat, & quicquid intrinsecus clau-
 sum teneatur, in palam rationabili manifesta-
 tione

Clauis
 quid.

sermone
 de san-
 ctis. 27.

E C C L E S I A E.

tione producat . Quis autem nescit , omnia
 hæc per uerbū fieri ? Clavis igitur uerbum est .
 Quid dicam de Chrysofomo ? Clavis est in-
 quit ille , uerbum scientiæ scripturarum , per
 quam aperitur hominibus ianua ueritatis . Cla-
 uicularij autem sunt sacerdotes , quibus credi-
 ditum est uerbum docendi & interpretandi
 scripturas . Ad hunc modum soluere patres e-
 tiam uocant , confitentibus & ueniam oranti-
 bus peccatum per uerbum dimittere , idque
 non imperio , sed ministerio . Rursus ligare uo-
 cant , præfraçtos , contemptores , publicè faci-
 norosos & è contubernio piorum deturbare ,
 & futuram Domini iram , ni resipiscant , ijsdem
 annunciare . Vnde & Ambrosius inquit : Ver-
 bum Dei dimittit peccata , sacerdos est iudex ,
 sacerdos quidem suum officium exhibet , sed
 nullius potestatis iura exercet . Idem de Cain
 & Abel : Peccata per uerbum dimittuntur , cu-
 jus interpret siue expositor Leuita est . A L-
 BVLA . Parum præsidij quantum audio , sedes
 Romana in hoc de clauibus loco habitura est .
 Si clauium enim usus in uerbi administratione
situs

In Mart.
 homilia
 44.

Soluere .

Ligare .

DE POTESTATE

situs est, si præterea parem hic qui in docendi munere constituti sunt, soluendi & ligandi potestatem habent, quibus rationibus, quibus argumentis, quo prætextu istud hæcenus usurpatum in omnes homines imperium tuebitur? NIDAN. Non desunt isti satrapæ sua, crede mihi, argumenta, si quis falli & decipi uliro uolet. Ordinis potestatem eò detorquet, ut existimet novos fidei articulos, nouas leges, nouos ritus, nouas cæremonias, condere sibi licere, à quibus phas nulli sit uel latū unguē discedere. Dis. 4. C. de libellis. At uero iurisdictionis uniuersitatem ita interpretatur, quasi penes se sit supremi in terris magistratus confirmatio, ciuiliū legum moderatio, bellorum pro ecclesiæ bonis susceptorum administratio, ita ut omnes in Christianismo principes uel si digito crepet, dicto statim audientes esse oporteat. Dis. 22. C. Omnes. ALBVLANVS. Cur non argumentis iste ^(uòs u. l. l. p. e. u. r. h. s.) aliquantò a peritioribus, in stabilienda hac tyrannide uiuatur? qualia sunt:

Sic uolo, sic iubeo, sit pro ratione uolūtas.

Item:

Papæ potestas.

ECCLESIAE.

Item: Oderunt dum metuant.

NIDANVS. Nihil horum prætermiffum est. ALBVLANVS. Vis autem meam hac in re audire sententiam? Ego isti beluæ morem, siue concilium coeat siue non, gesturus sum nunquam.

Non si tellurem effundat in undas

Diluuiio miscens, cœli ue in tartara soluat.

NIDAN. Quid? Imperium etiam, si ad concilium uentum fuerit, detrectabis? Neque tantam tot mirratorum auctoritatem reuerebere? Quid igitur si te feriant excommunicationis fulmine? ALBVLA. Tu quidem iam nunc in re tam seria iocari incipis? Ego uero ex ijs quæ mihi hæctenus abs te audita sunt, quæ sit illorum in concilijs futura auctoritas, probe admodum obseruasse uideor. Neque enim conciliorum auctoritatem puto ab ecclesiastica potestate diuersam esse. Eatenus dicto me audientem habituri sunt, quatenus in clauium & uerbi administratione recte uersabuntur. Quod si illa etiam nos concilij expectatio, id quod futurum auguror, uel in uniuersum sefellerit, tamen nihil.

Cōcilij
quatenus
obediendū.

DE POTESTATE

hilominus officij nos memores esse, adeoq; ei, cuius hæc uox est: Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui, hunc audite, morem gerere oportebit. **N I D A N V S.** Confirmet hoc animi tui institutum Dominus. Sic enim fiet, ut uel inuito Satana, regnum cælorum ingrediare, siue interim Papæ clauēs errent, siue non errent. Imò si cælestis illius patris uocem (hunc audite) è concilijs sustuleris, quid aliud obsecro sunt, atq; Satanæ conciliabula? Concilia in hoc olim, cum purior adhuc esset Christianismus, cogi cōsueuerunt, ut ne exorta hæreses, fidei articulis in scriptura præscriptis derogarent aliquid. Post uero si quid temporū ratio postulabat, ea etiam, quæ ad externam uitæ honestatem & decentem in ecclesijs ordinem pertinebant, constituta sunt. Tale fuit quod initio nascentis ecclesiæ Hierosolymis Apostoli celebrarunt. Non prius enim de ijs, quæ ad externam Christianorum conuersationem pertinere uidebãtur, constitutum aliquid est, quàm apud omnes receptum esset, sola in Christum fide iustificari hominem.

Idem

Cōciliorū ratio apud ueteres.

ECCLESIAE.

Idem in sequentibus quoque concilijs aliquot
 mos obseruatus est : etiamsi progressu tempo-
 ris , cum in peius dilaberentur omnia , negle-
 cto uerbo humanarum tantummodo traditio-
 num habita sit ratio . ALBVLANVS . Cum
 ergo uideam tot absurditates , tot incommodi-
 tates , tot impietatis monstra ijs constitutioni-
 bus in Ecclesiam inuecta esse , non inepte arbi-
 tror uel me uel alium quempiam facturum , si
 neglectis turbidis istis traditionum humana-
 rum lacunis , ex Euangelicis scaturiginibus a-
 nimi suum tantum exatiam . NIDANVS .
 Hoc quisquis facit , recte atque ordine facit .
 Nam obedientiam nulli mortalium , siue pon-
 tifici , siue episcopo , siue tota quæpiam syno-
 dus sit in spiritualibus rebus debemus , nisi uer-
 bum Dei adferat . At uero uerbo consentanea
 adferentibus , ultro hic obedientes erimus , tan-
 tum abest , ut auctoritatem illorum aspernaturi
 simus , si quod officij illorum ratio exigit , præ-
 stiterint . ALBVLANVS . Si sic adfecti es-
 se perceperimus , non uideo quo pacto ab illis
 culpam possimus . Sed heus Nidane satis diu

uerbo
 Dei cres-
 cendū est.

con-

DE ANGELIS.

confabulati sumus : ego ad prandium propero.
 Quòd si uulgaribus obsonijs contentus esse uo-
 les, rogo ut mecum prandeas tu quoque. NID.
 Mihi uero lautius prandium in arce paratum
 est. Eò me confero. Vale. ALBVLAN. Quid
 cum aulis theologo? Sed tu quoque uale.

Colloquium de Angelis.

Rosianerus. Volumetius. Coruinus.

Schultenus. Cymeus.

Poppius.

HEus Volumeti, ecquid noui audisti? VO-
 LVME. Prorsus nihil. ROSIA. Quid
 si ego nuncium adportem, cuius maximo pere-
 particeps fieri cupias? VOLVM. Dic amabo
 istuc quid sit. ROSIAN. Nisi præmium dicen-
 ti polliceare, solus mecum in sinu gaudebo.
 VOLVM. Quid? præmium amico? Illud er-
 go Pythagoricum animo tuo excidit, τὰ τὸν
 φίλον κοινὰ? ROSIA. Amicitiae ius urgenti di-
 cam. Coruinus uespericcenabit mecum. VO-
 LVM. Coruinus autem? Quando is huc appu-
 lit? aut apud quem diuersatur? ROSIA. Haud
 ita dudū est quòd uenit. Diuersari autem apud

Hermani

DE ANGELIS.

Hermannum Vrdenium, qui pro filiolo illius aliquando hic in Baptismo fideiussit, arbitror. VOLV. Ipse hominem uidisti aut allocutus es? ROSI. Non, sed per puerum inuitatus, benigne uenturum se respondit. VOLV. Antiquū adhuc obtinet. Sæpe mihi audita illi⁹ uox est, nulli se in tota Saxonia ciuitati, cum tamen ex æquo omnibus faueat, addictiorem esse, atq; Goslaricæ: id quod iam nunc facile crediturus sum. Quādo enim unquā fecit hac iter, quin nos & inuiserit & frontem nobiscum exporrexerit? ROSIA. Diuerte igitur ad meas mecum ædes, quò uenientem simul excipiamus. Breui enim adfuturum arbitror. VOLV. Solū aut cum umbris aliquot? ROSIA. Cymeum una adducere iussus est, quem pro Achate, hoc est, itineris, fortunæ, periculorū omnium comite habere solet, ut audio. VOL. Ecquem uero à quo huc ducatum misisti? ROSIA. Ea res nihil est, quod te sollicitet. Missus cum Schulteno Poppius est. I tu mecum. VOLV. Equidem non iussus etiam facturus istuc erā. ROSIA. Fortassis iuxta prouerbiū. Boni ad
D bonorum

Goslaricæ
 anis ad
 dictus
 Corui
 nus.

DE ANGELIS.

bonorum conuiuia uel non inuitati accedunt.
VOLV. Adde, quod hospites in alienis ædi-
 bus semper libentius atq; in proprijs excipio,
 uel ipso Coruino teste † **ROSIA.** Ne te ridi-
 culum esse oportet, qui prius iocari quàm con-
 ueniamus incipis. Sed aut ego Coruinum haud
 recte noui, aut liberalitatẽ istam tuam digne
 exagitationem. Quid rides? **VOLV.** Istum adpa-
 ratum. Si exhilarare Coruinum uis, iocis, sali-
 bus, amcenioribus fabulis, exhilara. Neq; enim
 inter amicos de rebus serijs, nisi prouocatus,
 maximopere sollicitus esse solet, præsertim
 prandio uel cœne adhibitus. **ROSIA.** Quanto
 se præbuerit hilariorẽ, tanto mihi illius præ-
 sentia gratior erit. Sextus enim iam annus agi-
 tur, quod mihi uisus non est. Sed ecce adsunt
 quos expectabamus. **CORVI.** Saluete amici
 ueteres. **ROSIA.** Et tu Coruine uicissim cum
 Achate isto tuo saluus sis. Es mihi enim iam,
 ita me Deus bene amet, gratissimus hospes.
VOLV. Gratissimus mihi quoq; est Coruine
 tuus & in ciuitatem nostrã & ædes hasce ad-
 uentus, quare Deum Opti. Maxi. etiam oro,
ut cum

DE ANGELIS.

ut cū tibi tum nobis scelix sit, ac faust^o. COR
 VIN. Vtriq; uestrum cum Cymæi tum meo
 nomine gratias ago. Sed tu Volumeti, cur non
 in ædes tuas uocatum me excipere, quàm hic
 maui? VOLV. Equidem uocaturus te eram,
 nisi me Rosianerus noster anteuertisset. RO-
 SIA. Credo, siquidem libenter sumptus facis.
 CORVI. Sumptus ille faceret? uix credo, ni-
 si forte alius ac olim fuit fact^o sit. Quanquam
 ut uerum fatear, parcus semper fuit, sordidus
 non fuit. CYME. Poëta forsā est, quos absq;
 fumo sacrum facere aiunt. SCHVLTE. Quin
 omissis istis nugis accumbimus tandem? Iam
 dudum me istius salutandi ac resalutandi uicif
 situdinis facietas ccepit. POP. Ita profecto
 est ut dicis. Omnes salutant, omnes aduentui
 illorum gratulantur. At uero ex itinere fessis,
 etiam quod corpus refocillaret proponendum
 erat. Mihi non probantur istæ cum tot cære-
 monijs coniunctæ salutationes. Propemodum
 ista salutantium in diuersorio turba euecti su-
 mus. VOLV. Audis Rosianere iste quid dicat?
 ROSIA. Accumbe igitur Coruine, & tu Cy
 D 2 mæe ac-

Cærem-
 niæ salu-
 tantium
 esuriēti-
 bus odī-
 osæ.

DE ANGELIS.

*mee accumbe, quo cæteri quoq; suum quisq;
 ordine locum occupent. VOLV. Quàm sumus
 hic omnes ex æquo dicto audientes? COR-
 VI. Vetus dictum est Germanorum, par esse,
 ut conuiuæ hospitis imperio per omnia pare-
 ant. CYME. Paroennam ciuitas plane Germa-
 nico instituto dignam. Cum enim passim ab
 hospitalitate apud historicos laudentur, ita ut
 etiam piaculi loco habitum apud eos sit, tecto
 arcere quemcunq; mortalium, quis non fatea-
 tur, eum qui tam amice hospicio exceptus sit,
 ex debito etiam hospiti præstare obedientiã?
 VOLV. Non fraudabimus suo hospitem iure,
 modo officiũ ipse quoq; faciat. POPI. Quod
 tu nobis officium narras? VOLV. Habet Ger-
 manorum institutum hoc quoq; inter cætera,
 quod hospites externos pro fortuna quisq; pa-
 ratis excipiunt epulis. RO. Eccam igitur uo-
 bis pernam, quã Saxonia nostra, non infima
 Germaniæ pars, in delicijs habere consuevit.
 Eccum item pulpamentũ, propter eam adponi
 consuetũ. POPI. Non poterat Coruino cibus
 proponi delicatior. A puero propemodũ pernis
 impense*

**Antor
 Corneliz
 us Taciz
 tus.**

DE ANGELIS.

impense delectatus est. SCHVL. Vescantur
Arcades glandibus, Argæi pyris, Athenien-
ses ficibus, palmulis Carmani, milio Sanroma-
tæ, Cynocephali lacte: id quod fecisse eos an-
te frugū usum testantur historiographi. Nos
nostris delicijs fruemur, de externis cibus pa-
rū futuri solliciti, CYME. Certe petasone ac
uulgares cibos qui fastidiunt, eos ego mensæ
meæ nunquam adhibiturus sum. VOLV. Me
quoq; si uulgaria hæc adsint.

Non lucrina iuuerint conchylia

Magis ne Rhombus aut Scari

Si quos Eois intonata fluctibus

Hyems ad hoc uertat mare

Non Afra auis descendat in uentrē meum

Non Attagen Ionicus iucundior.

Horatis

us,

ROSI. Cum gratiarū actione igitur appositis
uescimini. Sed quid hoc rei est? Nemo interim
bibit? Quis Cyathorū usus erit, si bibituri non
estis? VO. Quia hospiti sic uisum est, tibi Cor
uine præbitor sum. COR. Sit saluti. SCH.
At uero uide ne tantū bibas, quantum Archæsi
laus Prytanæus, qui intemperato uini haustu

D 3 mortuus

DE ANGELIS.

mortuus est. VOL. Istuc Christus auertat. Ego
 bibiturus nō potaturus sum. ROSIA. Vinū
 ad iucunditatē creatum est. Ad iucunditatem
 igitur iā eo ipso utamur. Nō puto tēperatā læ
 titiā pijs apud deū fraudi esse. COR. Quod ad
 me adtinet, nihil obstare patiar, quo min⁹ lætū
 hic sumamus diē adeoq; frontē exporrigam⁹,
 modo conuiuū hoc nostrū sale etiā interim cō
 ditis sermonib⁹ ornetur. PO. Puto tamē nibi
 lo min⁹ integrū cui libet esse, ut dicentē uel se
 rio uel per iocū interpellet. VO. Tu igit⁹ Corui
 ne, cum iam Vitenberga redeas, qua sis in ea
 peregrinatione fortuna usus, narra obsecro.
 COR. Cymeum narrare iube et etate et do
 etrina me superiorē. Ego dicenti succenturia
 tus, si opus sit, adero. CYME. Atqui tu hisce
 nostris conuiuis notior es, ex diutino cōiuctu
 atq; ego, quare etiam dicentē libentius te atq;
 Cymeum audituri sunt indubie. Quamquā
 quid opus hic est longa narratione? Si breui
 ter dixeris, in uniuerso hoc itinere nos albæ
 gallinæ, iuxta prouerbiū fuisse filios, iam to
 tam peregrinationis huius summam recte com
 plexus

Albæ
 gallinæ
 filij.

DE ANGELIS.

plexus es. VOLVMETI. Heus Rosianere,
 tu interim dum hodeporicon hoc audimus, ali-
 ud ferculum adponi iube. ROSIA. Bubulam
 uidelicet carnem? SCHVL. Vt est liberalis
 Volumetius noster in alienis ædibus. VO-
 LVMETI. Atqui ferenda insania est, de
 alieno quàm de tuo liberalem esse malle. Tu
 tamen Rosianere nihilo minus istam de qua
 dixisti Bubulam carnem adponi iube, & tu
 Cymee ad institutum redi. CYME. An
 non iam dudum breuibus peregrinationis no-
 stræ summam complexus sum? Ferè enim uel
 in amplis ciuitatibus uel arcibus, apud ho-
 mines optimos diuersati, & egregie lauteq;
 tractati sumus. Quod si nomina uel loco-
 rum uol hominum scire uoles, Coruinum per-
 cuncteris necessum est, non aliter atq; adul-
 terinam monetam apud Saxones suos no-
 tum. CORVINVS. Hunc ego io-
 cum pari posthac referam. VOLVME-
 TIVS. Ego uero apud quos amicos & ubi
 singulis noctibus diuersati sitis quero. COR-
 VINVS. Hesia egressi primo die Gottingam
 D 4 uenimus,

DE ANGELIS.

uenimus, non ignobilem Saxoniae ciuitatem •
 SCHV. Dubiū non est, quin laute ibi uos tra-
 ctarint amici, praesertim concionatores. COR.
 Quid ni? Altero die haud ita prolixū iter emē
 si, Embecae substitimus, pari alacritate atq;
 Gottingae excepti à concionatoribus. Tertio
 die arce quādam Saxoniae Vuispelstein ingres-
 si sum⁹. Domino eius arcis nomē est, Siberto à
 Steinberg, cuius filiū Melchiorē unā nobiscū
 Vitenbergam abducturi eram⁹. Quid hic ex-
 hibitos nobis honores memorē? Si Satrapae fuif-
 sem⁹, honorificentius certe tractari nō potera-
 m⁹. Quatriduum ibi detenti sumus. CYME,
 Si usquā Germanicae et uere nobilitatis ue-
 stigia supersunt, in hac arce supersunt. Mari-
 tus, uxor, liberi à uulgari nobiliū fastu, arrogā-
 tia, supercilio, prorsus alieni sunt, ita pietate et
 honestate ex aequo omnes conspicui, ut nihil
 supra. CORVINVS. Quarto die Brunsvi-
 gum adpulimus. POPPI. Veternum mihi uelu-
 ti excutis, cum patriam nominas, sed perge.
 CORVI. Honorifice ibi me senatus, quod
 Embecani quoq; fecerāt, posteaquā aduentū
 sensit,

Laus si-
 berti a
 stein-
 berg ux-
 oris & li-
 berorū
 eius.

DE ANGELIS.

sensit, misso honorario uino & alio quopiam munere, excepit. Habet autem egregiè doctos uiros hæc ciuitas, uidelicet Martinum Gorolitiū & Henricum Vuinkel in theologicis literis, excellenter doctos. Antonium Nigrum Medicum, Bertramum Damum poëtam & philosophum, Ioannem Glandorpiū oratorem & pædagogum. Cum his dum & colloquimur & suauiter nugamur, biduū abiit. Quo minus autem solidum hoc nobis fuerit gaudiū, Autoris Sanderi, qui cum ab ineunte ætate mihi & amicitia summa & familiaritas intercessit, absentia effecit. Eadē fortuna tribus quoque sequentibus diebus, primum in arce quadam (die Sommerscheburg uocant) apud Iodocum à Stemberg uirum uere nobilem, deinde Magdeburgi. Postremo Zerbestij usi sumus. VOLVM. Interquiesce paulisper, donec & poculum hoc exsiccet & aliud obsonium apponatur. Et quid Rosianere superest? ROSIAN. Veruecina caro, eaq; assa & tosta igne. Post adponentur tragemata. VOLVME. Exporrigamus igitur frontem, quandoquidem neque

Iodocus
a Stemberg
nobilitū
decus.

DE ANGELIS.

esculenta neq; poculenta desunt. Sed interim
 Coruine perge. CORVIN. Vitenbergam in-
 gressi ita excepti, ita tractati, ita habiti sumus,
 ut si singula ordine recensere uelim, iusta ora-
 tione opus habeam. Puto ego Athenas, si cum
 hac Academia conferantur, certo cristas de-
 missuras esse. Usque adeo hic & pietate & e-
 ruditione & linguarum peritia perstrepunt o-
 mnia. Quem enim ex omnibus in uniuerso or-
 be theologis uni Luthero oppones? quem in
 rectoribus studijs Philippo? Taceo reliquos
 qui ut ex sua eruditione, ex suis uirtutibus a-
 pud omnes bonos ornati sunt: ita me præcone
 opus nõ habent. Certè quàm sunt docti, quàm
 sunt uere magni, tam fuerunt etiam erga nos
 humani. SCHVLTENVS. Hæc ut credam,
 facile cum mihi tum alijs persuasurus es. Vidi
 enim ipse ante decennium, cum eandem pere-
 grinationem ego & Volumetius tecum nomi-
 ne ecclesiarum nostrarũ suscepissemus, quàm
 amanter nos & exceperint & audierint &
 dimiserint. CORVINVS. Deserta igitur tan-
 dem Vitenberga Cosuigũ profecti sumus, ubi
 cenam

acade-
 miæ vitæ
 bergensis
 encomiũ

DE ANGELIS.

*ccenam nobis Mathias Tacius olim meus disci-
 pulus in parochi ædibus appararat. Comitati
 autem hic nos sunt honoris ergò, uiri & iuue-
 nes aliquot non tam eruditione quàm imagini-
 bus clari, Ludouicus uidelicet Coruinus, An-
 tonius Schenit ꝛ, eius qui à Moguntino tam in-
 dignè iugulatus, est germanus frater, Ioannes
 Stigelius poëta, Petrus à Neuumark, Mel-
 chior à Steinberg, & cæteri plerique quorum
 me nomina fugiunt. Dicitur autem non potest,
 quàm hic deposito supercilio theologico libe-
 rè nugati, & foro quod dicitur usi simus. Por-
 ro in amicorum gratiam desipere in loco non-
 nihil libuit. VOLVMETIVS. Sic Alcibiades
 diæterijs & salibus ludebat Athenis, apud La-
 cedæmonios radebatur, pallium gestabat, fri-
 gida lauabat, re ipsa declarans scenæ interdū,
 si res poscat, inseruiendum esse. CORV. Lau-
 dari hæc morū dexteritas solet, si modus adhi-
 beatur. neq; temperatiæ limites prætergre dia-
 mur. CY. Atqui hic uel per imprudentiã uel
 carnis imbecillitatē, etiã optimus quisq; impin-
 gere solet. COR. Cosuigi igitur relictis ijs qui*

Fere sus-
 percilio
 si sunt
 theologi

nos

DE ANGELIS.

nos comitati fuerant, Zerberstium reuersi sumus. Ibi quoque pontificaliter admodum amici & exceperunt & tractarunt nos. VOLVM. Qui nam? CORVINVS. Iustus Ionas qui antea cum iter istac faceremus, absuerat, prætor etiam eius ciuitatis uir adprimè bonus & nobilis, senatores item plerique unà cum concionatoribus, quorum omnium tanta fuit comitas, tanta humanitas, tanta liberalitas, ut biduum ibi, idq; ultro ac uolentes, commorati sumus. Cum primis hic admirationi nobis fuit Ionas iunior, qui quanquam Ephemiam nondum sit egressus, tamen & excepturus nos & post ea etiam inter ministrandum, tale de se præbuit cum ingenij tum morum specimen, ut facile adpareret quò tandem egregia illa indoles aliquando euasura sit. Doctissimus uir est, pueri pater, suauius, candidissimus, syncerissimus, eoque omnibus bonis æque charus. Quid? Puto omnes gratias, omnes charites, omnes Musas in hoc ceu domicilio quopiam suauius conuiuere uoluisse. Vnde alioqui tot ac tantæ uirtutes? Sed tamē aut ego fallor,

aut

Iusti Ionæ
laus.

DE ANGELIS.

aut patrem olim filius, si sic perrexerit, si non superaturus, certe æquaturus est. Ego profecto mihi quoties indolem pueri contemplabar, temperare non potui, quin subinde ijs uerbis eundem compellarem:

Maecte animi uirtute puer sic itur ad astra.
CYMEVS. Recte mi Coruine facis, quòd harum rerum & amicissimi istius conuiuij memoriam nobis ueluti refricas. Ego Zerbestij enim quo ad uixero, ob collata istic in nos beneficia, adeoq; exhibitam humanitatem, memor futurus sum. **CORVIN.** Sed quid multis opus est? Par scelicitas postea cum Magdeburgum tum Halberstadium nos comitata est, quam etiam hic nobis non spero defuturam. **ROSIA.** Dabimus profecto operam, ut in hoc officij genere istis aliquousque respondeamus, & pares sumus. **CORVI.** Ego uero mei caussa non sumptus etiam tolerabiles fieri, tantum abest, ut mihi illa prouerbio notata probetur *χρῆσις φίλων*. Animorum promptitudinem laudo tantum, quam ego omnibus cupedijs etiam anferendam censeo. **VOLVM,** Pullos aliquot
anse-

sumptus
amicorū
gratia
non faciendi.

DE ANGELIS.

anserum in saginario ante octiduum inclusi, quos iuxta Varronis præceptum, poline & polenta aqua madefacta pinguescere constitui. Quòd si tantisper hic dum isti pinguescant & saginentur commorari uultis, nos quoque re ipsa declarabimus, quàm sit grata Volumetio præsentia uestra. CORVIN. O hominem liberalem. Certò scit haud ita diu nos hic mansuros. Alioqui anserum istorum ne mentionem quidem facturus erat. VOLVM. Quid tu uero Rosianere cessas? Tragemata iam dudum allata oportuit. ROSIANE. Iam iam adferentur. POPPIVS. Quantum Coruine audio, scelicibus aibus & ingressi hoc iter estis, & huc regressi. SCHVLT. Imò non scelicibus aibus, sed dextro opinor genio. CORVI. Quid ni? Bono certe genio tam scelicem itineris nostri successum acceptum referimus. VOLV. Cur non potius ipsi Deo? CORV. Cum ministrum geniũ nomino, Deum ipsum ministri huius & datorem & autorem agnosco. Neque enim ne scio, creaturæ non competere, quod in solum quadret creatorem. VOLVM. Genios igitur
theo.

DE ANGELIS.

theologi, bonum uidelicet qui iuuare studeat, malum qui damnum det, recipitis? CORVIN. De appellationibus rerum, cum de rebus controuersia non est, haud ita solliciti sumus. Certum enim est, genium hominum bonum diuinitus esse donatum, qui cōmoda illius procuret eidemq; nusquā nō ope ac auxilio adsit. Certū item est genios esse malos, quorū uoluntas tamen si semper ad incōmodandum pijs prona sit, tamen eatenus nocent tantū, quatenus à Deo permittuntur. Scriptura angelos uocat uel spiritus. POP. Misceamus ergo ioca serijs, hacq; de re nōnihil confabulemur. Meo enim iudicio non parū consolationis habet hæc de bonis angelis disputatio. Et quid Coruine genios bonos, seu mauis angelos uocas? COR. Hæc tibi Cymee lampada tradita memineris. Ego interim dū uos hac de re colloquimini, istis me bellarijs oblectabo. CYM. Autor eius libelli, qui inter Augustini opera de cognitione ueræ uitæ inscribitur, Angelum uocat, spiritualement substantiam incorpoream, inuisibilem, sensibilem, rationalem, intellectualem, immortalem, etc.

Geniorū
appella-
tio.

Angelus
quid.

Sed

DE ANGELIS.

Sed mea sententia, commodior ex literis sacris finitio peti potest. Neque enim ex iam citata, quem in usum substantiæ istæ creatæ sint, colligi potest. POPPIVS. Cum teste Cicero ne quid in quaq; re sit finitione perspicatur, uidentum est ut perspicue diffiniamus. CYM. Recte. Est autem in libro psalmorum locus quidam, qui probè introspectus nõ ineptam nobis finitionem suppeditaturus est. hic uidelicet: Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos ignem urentem. Quis enim hinc non uideat angelos bonos ministratorios esse spiritus, quos Deus in hoc creauit, ut & sibi seruiant, & pijs in adiutorium destinentur? Nisi enim in hoc mitterentur angeli, hoc est, nuncij dici haud possent. Vocat autem spiritus hosce ignitæ naturæ, ut uideas angelicam naturam omnibus alijs creaturis superiorẽ esse. SCHV. Ergo à ministerio nomen habent, ut iuxta Augustinum, non naturæ nomen sit angelus, sed officij. Ex eo, inquit, quod est, spiritus est, ex eo quod agit, angelus est. CYME. Non inepte hæc Augustin. ut fere omnia. An non enim

De finitionibus bonorũ & malorum.

Alia finitio.

DE ANGELIS.

ab actione, hoc est, nunciando, nuncius dicitur? Sed mihi hic non solum, quem in usum spiritus isti, uerum etiam à quo creati sint diligenter obseruabis. Mirifice enim hæc probe obseruata, diuinam erga nos bonitatem cõmendat. Creati autem sunt à Deo patre per uerbum ceu medium quoddam, spiritu sancto illos & uiuificante & sanctificante. Certè paternum erga homines adfectum habeat geratq; necessum est, qui illorũ gratia tam egregias creaturas condidit. Et quis tanto beneficio exactius considerato, dubitet nos eidem per omnia curæ esse? POPPI. Nemo opinor negare hoc poterit, quin rerum tantarum cõsideratio, ad confirmationem fidei nostræ multum faciat. Nam qui nondum creato homine, propter hominem tamen angelos huiusmodi creare dignatus est, ijs bene etiam nobis et consultum uelle, indubitanter existimandus est. SCHVL. Me uero sæpe hæc cogitatio torsit, qui nam factũ sit, ut pleriq; ex ijs, qui à Deo ad hunc modum & creati & per spiritum sanctificati fuerant, tam fede nihilo minus & lapsi & propterea

A Deo
creati
Angelis

E cœlo

DE ANGELIS.

angelorum
lapsus.

cælo deturbati sint. CYME. Quemadmodū in primo homine libera fuit ante lapsum uoluntas, ita in Angelis quoq; à Deo per uerbū, hoc est, Christum creatis, uoluntas libera fuit, qua uel amplecti bonū uel auersari malum potuerūt. Quod igitur libertate istiusmodi abutentes, in perfidiam et contemptū Dei lapsi sunt, cui obsecro rectius, atq; liberæ illorū uoluntati adscribitur? SCHVL. Poterant tamē eadem bonitate qua cæteri, si Deo ita uisum fuisset, seruari. CY. Istuc quis negat? At uero memineris hanc diuinorū iudiciorū abyssum, qua seruati pleriq; sunt, pleriq; destituti & sibi relictī, à nobis nec posse nec debere discuti. Quis enim hic nouit sensum domini? Aut quis illi fuit, dum hæc agerentur, à consilijs? ROSIA. Fortassis non inepte quis Socraticum illud huc retulerit: τὰ ὑπὲρ ὑμῶν οὐδ' ἐν πρὸς ὑμῶν. CYM. Recte. Curiosa enim illa cælestium rerum inuestigatio, quarum nobis causas cælestis ille pater incognitas esse uoluit, abijcienda, & ad ea quæ scire nos uoluit adijcienda est. Exempli gratia, Lapsos iam dudum Angelos aliquot diximus,

DE ANGELIS.

diximus, aliquot ut ne laberentur seruatos. Quis hic deum in ius uocare audeat, quasi qui nulla caussa hos seruarit, illos ut laberentur destituerit? Qui seruati sunt, habent cur indesinenter gratias pro tanta bonitate agant. Vere enim diuinæ bonitati, quod indita à creatione uoluntatis libertate ad bonū usi sunt, acceptū referēdū est. Rursus qui destituti et lapsi sunt, habent cur sibi ipsis succenseant. Cum enim indito à creatione uoluntatis arbitrio in perniciē abusi sint suā, sequitur irrefragabiliter, lapsus huius caussam, non Deum, sed illam ipsam uoluntatem, qua uel amplecti bonum uel auersari malū permissi erant, in caussa fuisse. SCH.

Atqui uideo patres in ea esse sententia, ut causam huius lapsus aliās inuidiam aliās superbiam aliās præsumptionem faciant. CYME. Nihil hic à patribus sententia nostra uariat. Cum effectus enim uiciatæ uoluntatis enumerant, haud dubie in caussam ipsam respiciunt. Et scitum est illud apud dialecticos: Effectu posito necesse est caussas adesse. Quauquam quid de malis spiriibus solliciti sumus, cum de

Quis
quis ser
uatur bo
na domi
ni uolun
tate ser
uatur.

Causa
lapsus
angelor
um.

DE ANGELIS.

Angelis bonis nobis sit instituta disputatio? Hos dixi à Deo per uerbū in hoc creatos esse, ut & ipsi seruiant & nostri quoq; qui capitis illius membra sumus, curam gerant. POPPI. Probari ex scripturis hæc creatio potest, neq; apud pios hic aliquid controuertitur. An uero ordines isti ac chori, quos maleferiatorum Monachorum effinxit superstitio, hinc probari possit, nescio, Certè ex illo Pauli ad Collosenses loco, ubi sedium, dominationum, principatū, & potestatum mentionem facit, nihil minus atq; quandam inter Angelos Hierarchiam, quis confirmarit. SCHVL. Augustinus quoq; de hac personarum inter ipsos differentia, non solum pronunciare nihil audet, uerum etiam ingenue fatetur, quid sentire hac de re debeat, prorsus ignorare se. Verba illius sic habent: Quid inter se distent quatuor illa uocabula, quibus uniuersam ipsam cœlestem societatem uidetur Apostolus complexus esse dicens. siue sedes, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, dicant qui possunt, si tamen possunt probare quod dicunt, ego me ista

Hierarchia angelorum.

In Enchiridio ca. 68.

DE ANGELIS.

ista ignorare confiteor. CYME. Inscitiam fa-
 teri, ubi quod certo statuas inueniri non po-
 test, prudentiæ est. Ego autem ut hierarchiam
 hac in re admittendam, cum scriptura nulla
 extet unde probari possit, non censeo ita ta-
 men inquisitionem, de officio spirituum isto-
 rum necessariam esse iudico. Ac quidem prin-
 cipio quatenus spiritus cœlestes sunt, non so-
 lum diuinæ naturæ trinitatem spectant, spe-
 ctandoq; beati sunt, uerumetiam laudant, ho-
 norant, glorificant, τριῶν illud cuius Esaias
 meminit: Sanctus, sanctus, sanctus perpetuo
 occinentes. POP. Recte hæc. Nam eandem
 cantilenam illa quoq; spirituum cœlestium tur-
 ba, quæ nato Christo adstitit, cantasse dicitur,
 Gloria, inquit, in excelsis deo. SCHV. Ego
 autem sic in animum induco meum, quod spi-
 ritus isti in cœlis hac in re faciant, idem nos
 quoq; in Ecclesia, quæ & ipsa regnum cœlo-
 rum dicitur, si Christiani esse uelimus, facere
 indefinēter oportere. CYME. Quid ni? Neq;
 enim frustra in libro Psalmorum dictum est:
 Immola deo sacrificium laudis. At uero qua-

Officia
 Angelo-
 rum.

DE ANGELIS.

tenus Angeli fiunt, hoc est, nuncij, non iam in laudando consistit illorum officij ratio, sed in executione eorum, quæ à Deo in mādatis habent. Ferè enim quicquid in terris dominus agit, per illorum ministerium agit. Hinc scriptura dicit: Legem per Angelos à Deo in monte Sina datam esse. POPPI. Huc pertinere illud quoq; certum est, quod ad populum Israeliicum dicitur: Ecce mitto Angelum, qui præcedat te, & custodiat te in uia, & introducat in locum quem paraui. CYME. Imò quicquid usquàm de missis Angelis scripturæ commemorant, huc referendum est. Iacobo cum & in Mesopotamiam migraret à facie Esau, & in patriam reuersurus esset, mittebatur Angelus, quò in fide contra fratris furorem & soceri iniquitatē, redderet confirmatio. Israeliica castra, cū relicta iuxta domini præceptū Aegyptio, sedes mutaturi Iudæi essent, Angelus præcessisse legitur. Per Angelos seruatus est, ne à leonibus quibus obiectus erat, dilaniaretur Daniel. Quid de Iudub dicam? Ea nihil obscuris uerbis hoc Angelorum ministerium -deprædi

Exēpla
de ange-
lorum
officio.

DE ANGELIS.

deprædicans ait : Viuit dominus , quoniam
 custodiuit me Angelus eius , & hinc euntem
 et ibi commorantē , et inde huc reuertentem :
 & non permisit me dominus ancillam suam
 coinquinari , sed sine pollutione peccati , re-
 uocauit me uobis gaudentem in uictoria sua ,
 in euasione mea & liberatione uestra . Agnos-
 cit quidem hic angelorum ministerium Iudith ,
 ut pote ex scripturis edocta propter pios mitti
 eosdem solere , sed tamen ne quod domino de-
 bebatur , Angelis , hoc est creaturis uideatur
 tribuere , addit : non permisit me dominus an-
 cillam suam coinquinari . SCHVLTE . Per
 Angelos igitur Deus , & mandata sua exequi-
 tur & pios conseruat & sicubi sub cruce &
 afflictionibus laborant , robur ijsdem addit , et
 ne lædantur prospicit . CYME . Tenes . Quòd
 enim mandata sua per eosdem exequi soleat ,
 hinc æstimari potest , quòd iubente domino , a-
 liàs populum pestilentia percutiunt , aliàs Assy-
 riorum castra subuertunt . Quod uero pios ,
 (pios inquam , ne quid impij quoq; hic sibi polli-
 ceantur) hoc pacto tueatur , defendat , seruet ,

DE ANGELIS.

Christo
quoque
Angeli
seruies
runt ut
homini.

confortet, aliat, & à Satanae insultibus & uer-
suta tutos reddat, tam est ex iam citatis exem-
plis manifestum, ut negari non possit. Quin ip-
se quoq; Christus quò per omnia humanã na-
turam (excepto peccato) assumpsisse se de-
clararet, per Angeli ministeriũ, cum in horto
preces Deo patri offerret, consolari sustinuit.
Quid multis autẽ hic opus est? Ipse humani ge-
neris hostis insensissimus satan, ex Psalmorum
libro hanc diuinã bonitatis erga nos prouiden-
tiam agnoscere coactus est, ne dum nos dubi-
tare hac de re uel tantillum debemus: Ange-
lis, inquit ad Christum, suis mandauit de te, ut
custodiãt te in omnib; uijs tuis. RO. Ego equi-
dẽ uos meos cõuiuas in hoc cœnã adhibui, ut
uos quaten; possem, exhilararẽ, cum ecce ue-
stra me cõfabulatio ita adficit, ut omniũ oblit;
in ea tantũ quã à uobis dicuntur intentus sim.
Et profecto istos uestros sermones, lautissimã
etiã cœnã anteponeĩdos existimo. Ad hæc nõ
abs re dictũ iam sentio, nõ in solo pane uiuit ho-
mo, sed in omni uerbo quod pcedit ex ore dei.
VO. Quod tibi accidit, mihi quoq; accidit. Ve-
re enim

DE ANGELIS.

re enim ea est diuini uerbi efficacia, ut à fluxis & præsentibus rebus, ad cœlestia auditoris animum rapiat. CORVIN. Obstinati animi indicium est, si quis, cum serio de ijs rebus quæ ad animæ nostræ salutem pertinent, sermones feruntur, adfici non sentiat sese. Præsertim tamen in hoc colloquio, quem non uel in primis istuc adficiat, quod cœlestis ille pater, constitutos in exilio longe omnium miserrimo filios, tam clementer auxilio, cōsilio, præsidio, ope, adhibitis etiam angelis dignatur? quis beneficium tantum oscitanter audiat? quis hic agnita domini bonitate, eaq; tanta, non in laudem & gratiarum actionem protinus erumpat? quis sibi, talibus custodibus cinctus & munitus, à Satana, adeoque omnibus istis, quibus præsens uita obnoxia est, malis, metuat? Quis non perpetuo illud psalmographi in ore habeat? Dominus mihi adiutor, & non timebo quid faciat mihi homo? Item illud: Dominus protector uitæ meæ, à quo trepidabo? CYMEVS. Videndum tamen est, cum constet angelos deputatos esse pijs, quorum præsentia ab omnibus

Benefi-
cium cœ-
leste.

E s malis

DE ANGELIS.

malis tuti seruentur, ne tanti beneficij gratia
 quod Deo soli debetur, creaturis tribuatur: id
 quod haecenus fecerunt isti, qui contempto
 uerbo Dei, quid nescio de sanctorum & cœle-
 stium istorum spirituum inuocatione commen-
 ti & nugati sunt. Scimus cœlestes istos spiritus
 à Deo in eum usum creatos esse, ut & ipsi ser-
 uiant, & missi ab eo, nostri, hoc est, piorū quo-
 que in terris curam habeant. An uero inuocari
 debeant, id absit ut unquam adseramus, præ-
 sertim cum scriptum sit: Dominum Deum tuū
 adorabis, & ipsi soli seruias. CORVINVS.
 Christianè admodum diuus Augustinus hac
 de re contra Faustū disserit: Ipsi sancti inquires,
 uel homines uel angeli exhiberi sibi nolunt,
 quod uni Deo deberi norunt. Apparuit hoc in
 Paulo et Barnaba, cum cōmoti miraculis quæ
 per eos facta sunt Liconij, tanq̄ dñs immolare
 uoluerūt. Conscisis enim uestimentis suis, cōfi-
 tentes & persuadentes se deos nō esse, ista sibi
 fieri uetuerūt. Apparuit et in angelis sicut et in
 Apocalypsi legimus, angelū se adorari prohi-
 bentē ac dicentē adoratori suo: Cōseruus tuus
 sum &

Lib. 20.
 cap. 22.

an inuo-
 candi an-
 geli.

DE ANGELIS.

sum & fratrum tuorum. Ista sibi plane superbi spiritus exigunt, diabolus & angeli eius. Hanc Augustini sententiam quotquot recte intuebuntur, eos ego ab illicita creaturarum adoratione facile temperaturos arbitror. CYM. In eadem sententiam de uera religione quoque dicit: Hoc etiam ipsos optimos angelos & excellentissima dei ministeria uelle credamus, ut unum cum ipsis colamus Deum, cuius contemplatione beati sunt. Neque enim & nos uidendo angelos beati sumus, sed uidendo ueritatem, qua etiam ipsos diligimus angelos, & his congratulamur. Nec inuidemus quod eorum paratiores, uel nullis molestiis impedientibus te perfruuntur. Sed magis eos diligimus, quoniam & nos tale aliquid sperare a communi domino iussi sumus. Quare honoramus eos charitate, non seruitute, nec eis templa construimus. Nolunt enim se sic honorari a nobis, quia nos ipsos cum boni sumus, templa summi Dei esse nouerunt. Recte itaque scribitur, hominem ab angelo prohibitum, ne se adoraret, sed unum Deum, sub quo esset & ipse conseruus. POPPIVS. Quemadmodum ingentis beneficij

loco

Cap. 55.

DE ANGELIS.

loco habendum est, quòd tam egregias creaturas Deus, cum pro defensione tum pro cõseruatione nostri tam sollicitè excubare iubet: ita me hercle desipienter faciunt, qui contra uerbum Dei, contra scripturæ exempla, contra ipsorum denique patrum sententiam, in creaturarum quæ creatoris cultum propensiores sunt. Quod enim hic Augustinus sentit, idem Bernardus quoque in sermone de angelis sentit manifestissimè. SCHVL. Mirum tibi uideatur, inuocationem angelorum à plerisque probari & doceri, cum non desuerint patrum memoria, qui mundi quoque creatores eos esse commentati sint? ROSIANE. Demirari uero sæpe mecum ego soleo, qui fiat, ut tam impij doctores tam facile discipulos inueniant. Quò absurdiora enim sunt, id genus phanatici quæ docent, eò citius à uulgo recipiuntur. CORVIN. Humanæ naturæ malitia facit, ut nullum sit tam absurdum dictum, quod non statim inueniat approbatorem. Quid? Prædita maximis donis etiam ingenia labi interdum hic & cæcutire uidemus, si non peculiari spiritus dono ab erroribus

Errores
de angelis.

DE ANGELIS.

roribus conferuentur. Quid absurdius dici potest, atque malos angelos olim in gratiam cum Deo redituros, & salutem consecuturos? Et tamen dogmatis huius approbatorem Origenem habemus. CYMEVS. Orandus igitur dominus est, idq; per Christum, quem solum nobis mediatorem proposuit, ut & spiritum in nobis bonum confirmet, & angelū nostri custodem nunquam à nobis auferat. Sic enim fiet, ut perpetuo & à praua doctrina, ipsissima religionis peste abhorreamus, & ab omnibus malis, ne salutem nostrā remorari queant, custodiamur. Potens quidem est, qui iam inde ab ipso mundi exordio excubat in nostram perniciem: sed multo potentior domini angelus est, quo tutore & defensore à maligno isto tuti sumus. Angelus domini in circuitu timentium eum, inquit psalmographus, & eripiet eos. VOLVMET. Si sic res habet, ut quidē dubitare non possum, iam cœnantibus quoque nobis hic, confabulantibus, disputantibus, & mentionem illorum facientibus adsint necessum est. CYME. Adde laborantibus, iter facientibus, dormientibus,

sur-

Potēs sa-
tan, potē
tiores an-
geli.

DE ANGELIS.

gentibus, uigilantibus, orantibus, gratias agentibus, breuiter, spiritus enim me deficit, in omnibus ijs quæ ad præsentis uitæ rationem pertinent, occupatis. Quicquid enim hic recte uel dicitur uel geritur, Deo autore per spiritum & angelorum bonorum præsentiam geritur. Si quid perperam uero uel dicitur uel geritur, ut sumus natura imbecilles, per illâ ipsam carnis imbecillitatem geritur, eoque carni imputatur. VOLVME. Recte igitur Coruinus principio dixit, bono genio duce & iter hoc ingressos esse uos, & huc reuersos. CORVIN. Imò hoc angelo duce in Hesiã quoq; incolumes nos redituros spero. CYME. Iam uero quid facturi sumus? Sermo in multam noctem protractus, ut cubitum eamus poscere uidetur. COR. Cæterum de symbolis dandis quæ est tua Rosianere sententia? Quantum uini absumptum est? quantũ utẽ Tythi Eimbecani? Nulli sumptus tanti sunt, qui non singulis aliquid numerantibus fiant aliquousque tolerabiles, iuxta Germanicum prouerbium. VOL. Quid tu Coruine sumptuum mentionem facis? Apud Sa-

Aus vi
len beii
telen ist
güt ze
ren.

DE ANGELIS.

Saxones gratuito cenatur, bibitur, præsertim apud eos qui uel hospites uel amicos conuiuio excipiunt. Ea apud nos consuetudo sacrosancta est, neque ulla ratione uiolari permittitur.

CORVIN. Ego non tuam hic, sed Rosianeri sententiam auditurus sum. ROSIAN. Si frugaliter & ut candor uester merebatur conuiuæ charissimi, excepti estis, est cur mihi placeam. Sin minus, rogo ut benefaciendi uoluntas potior apud uos sit, atque res ipsa. Certe enim gratissima mihi fuit omnium uestrum præsentia. Quare etiam de symbolis nihil est cur sollicitis sitis. Ratam hic esse oportet Volumetij sententiam. CORVIN. Gratias igitur tibi omnium nostrum nomine ago nunquam intermorituras. Quod si aliquando uicissim facultas animi erga te declarandi beneuolum dabitur, re ipsa comperies & experieris Coruini in te beneuolentiam minimè fucatam esse. ROSIANE. Ea de re nihil dubito. CYME. Idem tibi de me quoque pollicebere. VOLV. MET. De me quod polliceri queam nihil habeo, præterquod subinde etiam non uocatus redi-

DE. MATRIMONIO.

rediturus, & conuiua tuus futurus sum. ROS.
Quoties libet ueni. Cum enim filiolum meum
ita instituas, ut nihil prorsus in te desyderare
queam, puto me etiã maiora tibi debere. COR.
VIN. Valet ex æquo omnes. POP. Tu quo-
que Coruine cum isto tuo Achate, uale, Pop-
pij tui memor perpetuo. SCHVLTE. Tantun-
dem ego quoq; utriq; uestrũ imprecor. COR.
Quod pene exciderat, doctorem Eberhardũ
& Fridericum ecclesiæ diui Iacobi parochum
ex me reuerenter salutabitis. Iam nunc eamus.
VOL. Ego uos ad diuersoriũ usq; comitabor.

Colloquium de matrimonio.

MELANDER. HETLINGVS.

HEus Hetlinge, audio te per hosce dies u-
xorem duxisse. Verum ne id est? HET-
LING. Quod scelix ac faustũ cum mihi tum
ipsi sit, ducta est. MELAND. Vt ergo hoc ti-
bi uitæ genus probatur? Omnia adhuc ex ani-
mi eueniunt sententia? HETLIN. Quod Chri-
sto placere certum est, id ego nunquam im-
probaturus sum, etiamsi hic præter animi sen-
tentiã mihi subinde usueniret aliquid. Quan-
quam

DE MATRIMONIO.

quàm ut uerum fatear , talem nactus sum , ijs
 moribus præditam , ijs uirtutibus ornatam , ut
 si ducta non esset , cras eandem ducturus ad-
 huc ducturus essem . MELAN . Emphasim
 apud me habet , quòd te duxisse uxorem dicis .
 Videas enim plerosq; nubere potius uxoribus ,
 quàm uxores ducere , quo ego hominum gene-
 re , nihil in terris esse stultius existimo . HET .
 Sunt effceminati pleriq; , qui ferre imperij isti-
 usmodi iugum quam imperare ipsi malunt , etiã
 ubi opus non est . Eos ego imitaturus non sum .
 Et plane uxor mea desipit , si quid huius un-
 quàm animo concepit . MELAN . Intolerabile
 malum est imperiosa mulier , præsertim si uirũ
 frugi , quiq; gubernandæ familæ peritiã ha-
 beat , nacta sit . Interim tamẽ uiros etiã pleros-
 que interdũ reperiã , adeò stupidos , adeò bar-
 dos , adeò rerum omnium imperitos , ut nulla
 prorsus domesticarum rerum cura tangantur ,
 tantum abest , ut uxori , liberis & toti domui
 bene præesse norint . Hic ego frugi , prudentis ,
 & cordatæ mulieris , imperium non arbitror
 in uniuersum reijciendum esse , modo liberis tã

Ducere
 uxorem
 nubete.

DE MATRIMONIO.

tum & familiae imperet. Agnoscendus enim pro domino & capite uir est, utcumq; tandē ad gubernacula domus ineptus sit. HET. Quod in id genus maritis interdū accidit, idem in mulieribus quoq; sæpe accidere uicissim uidemus. Nam plerāsq; sic adfectas uidemus, ut nō solum rei & operi faciundo intentæ nō sint, uerum etiā quicquid maritus per saxa per ignes, ueluti ille inquit, corradere potest, decoquant abligurientq;. Quarum ego etiam uitio fieri existimo, ut apud poetas passim pessime hic sexus audiat. Legitur de lacone quodam, qui ducta uxore per pusilla dixerit: ē duobus malis quod minimū sit elegendum esse. Quis non uidet hoc Apothegmate uniuersum sexū notari? MEL. Aequē mēdax illud est apud doctos iactatū prouerbium, Πῦρ καὶ θάλασσα καὶ γυνὴ κακὰ τρία. Ut interim Augustini responsum taceā, qui interrogatus cur cū sorore cōmorari nollet, quoniā respondit malum est uidere scēminā, peius alloqui, pessimū attingere. Sed inique meo iudicio faciūt, qui propter improbitatē quarundā, omnes ex æquo scēminas detestantur.

De mulieribus malis.

DE MATRIMONIO.

tur, & conuicijs talibus proscindunt, immemo-
res quod isti sexui secundū Deum uitam etiā
debent. Quis enim neget scēminā æque crea-
turā Dei bonam esse atq; uirum? Recte autem
apud Liuiū Marcellus: si sine uxōribus, inquit,
quirites esse possemus, omnes ea molestia ca-
reremus. Sed quoniam natura ita tradidit, ut
nec cū illis satis cōmode, nec sine illis ullo mo-
do uiui possit, saluti perpetuæ potius quā bre-
ui uoluptati consulendum est. HET. Ego quid
istis mulierū osoribus, qui totum sexū sic auer-
santur, accidat miror. Si improbarū uel morosi-
tate uel malitia offenduntur, cur nō itidem ea-
rū quæ frugi & bonæ fuerunt exēpla sibi pro-
ponunt? Qui Xanthippen ob morositatē, Rho-
dopen ob meretricios quæstus, Helenā ob adul-
teriū, Agrippinam propter interfectū maritū
fastidiunt, cur nō ij uicissim Lucretiam quoq;
Portiam Bruti, Bibliā Duilli, Sulpitiā patercu-
li filiā, Penelopen et alias innumeras ponūt ob
oculos? ME. Apud Platonē pecuniaria multa

Lex pla-
tonis.

præscribitur ijs, qui legi de ducēda uxore non
pareant, inque ciuitate à matrimonij cōsortio

DE MATRIMONIO.

*alieni uiuant, idq; nõ immerito. Vidit haud du-
 bie prudentiſſim⁹ uir, cum et cõſeruari reſpu-
 blicæ citra matrimonij uſum non poſſint, et o-
 mnes ſerè homines natura in uenerè præcipites
 ferantur, ſatius eſſe cõnubio alligari, atq; uagis
 ſcortationibus inquinari. Quanquã quid Plato
 nis legib⁹ immoramur, cū Deus quoq; ipſe idè
 uelit? Propterea inquit deſeret homo patrè et
 matrè, & adhærebit uxori ſuæ, et erũt duo in
 carne una. HET. Qui duo in carne una fiunt,
 eos indiffolubiliter etiã coniunctos & mutuo
 amoris uinculo copulatos eſſe oportet. MEL.
 Quid ni? Aut neſcis huius rei gratia matrimo-
 niũ Auguſtino dici, legitimam inter uirũ et mu-
 lierem ſocietatẽ, in qua ex pari cõſenſu ſemet-
 ipſum alter alteri debeat? Atq; hæc ſocietas,
 ſeu mauiſ copula tam debet eſſe arcta, ut o-
 mnino niſi intercedente uel morte uel adulte-
 rio, diuelli ab uxore marit⁹ uel à marito uxor
 nõ poſſit. HET. Puto iſtuc ſibi Paulum quoq;
 uelle, ubi inquit: Viri diligite uxores ueſtras,
 ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam. Qui diligit
 uxorẽ ſuam diligit ſemetipſum. MEL. Nihil
 certius.*

**Matrimo-
 nium
 quid.**

DE MATRIMONIO.

certius. Principio quod potest arctius excogitari amoris uinculū, atq; id quod inter Christiū est et Ecclesiam? Tanta fuit huius amoris uis, tanta magnitudo, ut de uita etiam periclitari Christus, adeoq; sanguinē profundere maluerit, quā sponsam suam Ecclesiam quæ peritura alioqui erat, destituere. Iam si parem amorē parē beneuolentiā inter maritū & uxorem esse conuenit, quis igitur nō uidet arctissime cōiunctos & alligatos esse oportere? Deinde quod dicit, semetipsum diligere qui uxorē diligat, iterū eō referendum est, ut scias indissolubile esse inter uirū & uxorem copulā. Quā enim possibile nō est teste Apostolo, ut suam quis carnē odio habeat, tam debet etiam inter eos qui cōnubio iuncti sunt constans, rata, firma & certa esse cū beneuolentiæ tum amoris firmitudo. HET. Merito firma est hæc animorū inter uirum & uxorem societas, ut quæ nō ab hominibus excogitata, aut inuenta, sed ab ipso Deo præcepta sit. Nam quod Deum autorem habet, diutino usu apud omnes gentes confirmatum est, quis neget ratum istuc apud

Autor
matris
monij
Deus.

DE MATRIMONIO.

nos quoq; esse oportere? Quin ipsa quoq; natura lex, si uerbum cui niteremur deesset, coniugalem amorē animis hominū ita insequit, ut uel hinc manifestum sit, nō inefficax uerbum, esse, quod ad Adamū dictū est, deseret homo patrē & matrē et adhærebit, uxori suæ. ME. In uerbum hic præsertim defigendi sunt oculi. Neq; enim parum prodest scire, quod genus illud uitæ & institutū in quo degas, per omnia placeat Deo, quod Deū autorem habeat, quodque nō res quæpiā nouera, sed antiquissima sit, utpote statim à condito mundo instituta & à Deo præcepta. Cuius obsecro hæc uox est? Crescite et multiplicamini? Hominis an Dei? HET. Non dubiū quin Dei. MEL. Ad quem uero dicta est? HET. Ad eum à quo totū genus humanum ceu radice deriuatum est. ME. Vbi? HET. In paradiso. MELAN. Quando? HET. Statim à condito mundo. MEL. Quid igitur hoc uitæ instituto honestius? quid antiquius? Sed tamen ne quis existimaret ijs uerbis: crescite & multiplicamini, liberū permitti uero cū quauis coitum, additum etiam postea est:

DE MATRIMONIO.

est: adhærebit uxori suæ. Qui ad proprias enim alligauit nos, idem concubitum cum aliena etiã prohibuisse existimandus est. HET. Cre- do & scio. At uero quanta hic, bone Deus, licentia impingit mundus? quàm licenter amoto omni metu peccatur? Adulterorũ, scortatorũ, & omnis generis libidinum plena sunt omnia. Peccant hic cũ primis principes, quorum autoritate uulgi licentia coerceri debebat. Hos strenue nobilium uulgus insequitur, quorũ libido eò etiam progressa est, ut si quam uirginẽ oppresserint, si quam nuptam uiciarint, pro militari facto habeant, taceo quod inter pocula id genus facta ioculariter etiam iactant & ridet. Quid dicam de uulgo? Antiquum & uetus est alienum posthume lectũ Concutere, atq; sacri genium cõtemnere fulcri Omne aliud crimen mox ferrea protulit ætas, Viderũt primos argentea sæcula mœchos. ME. His adde Pontificũ, Cardinalium, Episcoporũ et omnium sacrificiorũ turbam. Quid enim hoc hominũ genere, utcunq; castimoniam profiteantur, à castitate & pudicitia alienius: quid salatius? quid

Illiciti
concubi-
tus pro-
hibiti
sunt.

DE MATRIMONIO.

Rasorū
libido .

in libidinē procliuus ? Caligula, Gordianus, Cōmodus, Nero imperatores, utcunq; propter libidinem apud historicos audiant male, tamē si cū istis conferantur, haud ita portentosa eorum libido uidebitur. HET. Num satius igitur esset, id uitæ genus amplecti, quod harum rerum ceuremedium quoddam est, quàm per omnes ueneris turpitudines ad eum modū uolulari ? MELAN. Scriptura prædixit quosdā exorituros, qui contempta ac reiecta matrimonij dignitate quam nescio castimoniã, hoc est, sub castitatis prætextu ipsissimam libidinē profiterentur. Et apud Daniele Antichristus à mulierum, hoc est, matrimonij odio descriptus est. Ea impleri oportuit. HET. Interim tamen æquum est, ut uel ij qui uere Christiani sunt, de tam sancto uitæ instituto magnifice sentiant. Neq; enim frustra à Deo præceptum, & ipsius etiam Christi præsentia postea confirmatum est. Quid ? uel ista cæremoniarū celebritas, qua in copulando sponso et sponsa tot⁹ orbis, tamen si diuersa ratione, utitur, satis arguit, gen⁹ hoc uitæ Deo autore institutū, eoq; apud

Præsen-
tia Chris-
ti confir-
matū
matri-
moniū.

DE MATRIMONIO.

apud omnes homines sacrosanctū esse debere. Præterquam enim quòd consensus parentum hic requiritur, uel eorum qui parentum uices tenent, quot obsecro leges, quò instituti huius honestas conseruetur, præterea inuentæ & læ sunt? MELAND. Atqui commendabilior adhuc aliquanto fiet, si quem in finem instituta sit, diligenter dispiciatur. Ac quidem ea in re non omnino postremas tenet liberorum procreatio. Repleri hominibus terram dominus uoluit, ueluti uerba illius indicant. Repleri autem quo pacto potuisset, nisi per uiri & mulieris coniunctionem ista nascentium uicissitudo accessisset? Tolle legitimam uiri cum uxore coitionem, & sobolem sustulisti. Sublata autem sobole, terra quoque iuxta domini præceptum repleri non poterit. HETLING. Recte legitimam dicis, ne istorū qui scortatores quam mariti esse malunt, libidini patracineris. MELA. Scortatoribus tantum abest & adulteris ut patrociner, ut si magistratus essem, capitis supplicio adfecturus fuerim id genus homines. HETLINGVS. Audio imperiali quoque lege istuc

Procreatio sobolis.

DE MATRIMONIO.

præcipi. Quòd si ea reuocaretur, quis neget minus adulteriorum in orbe futurum? Reuocari autem, ut nunc sunt mores, ne non possit uereor. MELAND. Certò pœna adficiendi sunt, qui istiusmodi sunt, siue reuocetur hæc lex, siue pro abrogata habeatur. Neque enim abs re dictum est: Honorabile inter omnes cõiugium & thorus immaculatus. Scortatores autem & adulteros iudicabit dominus. HETLING. Non omnino impunè peccant, qui ut maximè hic magistratus pœnam non sentiant, tamen domini iudicio reseruãtur. Quòd si cui optio daretur, melius profecto esset hac in re in hominis manus incidere, atque domini, propterea quòd horum pœna temporaria est & momentanea, contra illius æterna. MELAN.

adulteri
puniti
exempla
passim
scriptura
habet

Adde quòd temporariam quoque pœnam interdum istiusmodi transgressoribus immittere solet. An non propter Saram tantũ concupitã flagellati sunt Pharao & Abimelech? HETL. Filios igitur cum legitima uxore, procreare res est cum grata domino tum iucunda parentibus? MELAND. Quid certius? Est tamen quod

DE MATRIMONIO .

quod hic obserues. HETLING. Quid nam?
 MEL. Dei donū esse prolem, utcunq; tandem
 aliter uulgus hac de re sentiat. Benedictio do-
 mini huc accedat, necessum est, frustra alioqui
 hic uxoriæ rei datur opera, uel psalmographo
 teste, ubi inquit: Ecce sic benedicet homo qui
 timet dominum. HETL. Credo. Si uxorijs e-
 nim amplexibus ea res accepta ferenda tantū
 esset, frustra precibus suis Hanna prolis causa
 Deum interpellasset. MELAN. Et filij Israel
 quoque agnouisse istuc existimandi sunt, qui
 semen in Israel non habentes pro maledictis
 habebant. HETLIN. Puto tamen maledictos
 omnes non esse, quibus non detur proles. ME-
 LAND. Si quis commoditates illas & uolu-
 ptatem, quam ex pijs liberis pij parentes cape-
 re solent, perpendat solicius, iam externum
 quoddam maledictionis genus esse sterilita-
 tem non inficio, quemadmodum rursus quod-
 dam benedictionis genus est, teste psalmogra-
 pho, si quis & uxorem sicut uitam abundan-
 tem in lateribus domus conspiciat, & filios in
 circuitu mēsæ cen plantulas oliuarum habeat.

Sed

DE MATRIMONIO.

**Sterilitas
non dā-
nat.**

**Externa
rum be-
nedictio
num ra-
tio.**

Sed tamen interim sterilitas, ijs qui uere pijs sunt, damnationis caussa esse non potest. HETLING. Verisimilia dicis. Si sterilitas enim per se damnationi obnoxia esset, iam fecunditas quoque per se, etiamsi pietas accederet nulla, cælum emeretur. Quis uero ita desipiat? quis sic credat aut sentiat? Vni in Christum fiducia & fidei salus debetur, quam perpetuo etiam ratam oportet esse sententiam. Reliquæ corporalium rerum benedictiones solo domini arbitratu uel donantur uel subtrahuntur, imò impijs interdum cum pijs communes sunt. MELAND. Theologum te non scribam esse oportuit. Profecto enim pie hisce de rebus differis. Enimuero quis non uidet insigniter etiam impijs numerosam sobolem donari? Eadem est sobolis atque aliarum externarum benedictionum ratio. Bona temporaria in quinto Moseos libro pijs tantum, adeoque ijs qui iuxta præscriptum mandatorum illius? ambulant, promittitur. Et tamen interdum fit occulto quodam dei iudicio, ut abundantius hæc impij atque pij possideant. Proinde hisce de rebus sic statuen-

DE MATRIMONIO.

statuendum est, pijs qui uere Deum timeant
& reuereantur, omnia cooperari in bonum, si-
ue diuites siue pauperes, siue fœcundi siue ste-
riles sint. Contrà, impijs & uerbi contempto-
ribus omnia in malum cooperari, utcunque di-
uites sint & fœcundi. Quod si probe perpen-
derimus, matrimonium non sobolis tantum cau-
sa, ueruetiam propter supra uitanda institutū
à Deo esse, iam haud ita facile iniquam in eos
quibus proles non donatur, feremus sententiā.
Diuinæ beneuolentiæ signum est soboles fa-
teor. Sed tamen nos Christianam religionem
non è multitudine liberorum, sed è uera cordis
pietate & ex morum innocentia æstimamus.
HETLING. Huc indubiè illud pertinet apud
apostolum: Propter supra uitanda suam quis-
que uxorem habeat. MELAND. Nihil erras.
Perspecta ad unguem, quod dicitur, est diui-
næ bonitati carnis nostræ imbecillitas. Probe
nouit quàm sumus natura procliuēs in uenerē,
quàmque simus istiusmodi cupiditatibus obno-
xij. Vt igitur isti nostræ infirmitati succurrere-
tur, commodum remedium ostendit, uxorem
uide-

DE MATRIMONIO.

videlicet legitimam, cui adhærescentes ab illicito concubitu in uniuersum abstineremus. Iam in tanta carnis imbecillitate tam commodo remedio uti nolle, quid aliud est atque Dei institutum contemnere, & ipsi Deo immorigerum esse? Nihil est cur hic propter negatam prolem matrimonio uinctos in ius uoces. Ea si datur, diuina bonitate datur, eoq; gratiarum actionem exigit. Si non datur, diuina uoluntate non datur, cui æquè gratus esse debes. HETLING. Numerare quasdam inter uxorias commoditates, quas matrimoniū adferre secum soleat, mutuum quoque adiutorium audio, cum uidelicet maritus uxoris & uicissim uxor marito onus ita gestet, ut uere adpareat in una carne duas animas esse. MELAN. Inter cætera quæ iuxta hominis creationem describit Moyses, ea quoque me legere memini: Non est bonum hominem esse solum. Faciam ei adiutoriū quod coram eo sit. Et post capite tertio Adam lapsum suum excusaturus: Mulier, inquit, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Quæ omnia si quis discutiatur diligentius, re uera

DE MATRIMONIO.

reuera arguunt, genus hoc uitæ, præterquam quod propter sobolem & uitanda supra institutum sit, mutuum etiam adiutorium principio uiri erga mulierem, deinde mulieris erga uirū habere. HETLING. Ego adiutorij huius uicissitudinem, ex arctissima illa animorum coniunctione, qua uiro mulier & mulieri uir deuinctus est, proficisci arbitror. Nam quod ad me adtinet, ita erga nouā illam nuptam meam adfectus sum, ut me hercle mori, quàm in aduersitatibus cuiuscunq; etiam generis sint, destituere illam malim. MELAND. Quanto minus miror, quod Portia mortuo marito fidem coniugalem uoluntaria etiam morte declararit, etiamsi factum huiusmodi locū apud Christianos habere non debeat. HETLING. Fidem & coniunctionem animorum hic laudandam existimo. MELAND. Quid uero si cui morosa, dicacula, rebellis, & omnino mala contingat? & quæ adiutorij ac mutuae huius societatis ne tātillam quidem erga maritum rationem habeat? HETLING. Puto in uirum cui talis contingat prorsus uulgatum illud competere:

DE MATRIMONIO.

Mala
mulier
ingens
malum.

Ζυγαριῶν ὄλιγοι. Nam meo iudicio quam est sum-
 ma in rebus corporalibus felicitas, si cui frugi
 uxor contingat & liberi, tam est summum e-
 tiam malum, si diuersum hic accedat. MELA.
 Iesus Syrach dicit in tribus spiritui suo compla-
 citum esse: in fratrum concordia, in mutuo pro-
 ximorum amore, & in uiro ac muliere quibus
 per omnia conueniat. Et recte quidem ille. Sed
 ea est quarundam morositas, ea maleuolentia,
 ea rixandi libido, quæ uel moderatissimum in-
 genium exagitare & ad impatientiam adige-
 re queant. HETLING. Quid igitur hac in re
 facto opus est? MELAN. Varro in Menipea
 censet uxoris uicium aut tollendum aut seren-
 dum esse, qui uicium tollat, comodiorem præ-
 stare, qui ferat, seipsum meliorem facere. Quod
 quidem consilium, si sanabiles sint, adeoque ad-
 ulterij crimen non accedat, non omnino rei-
 ciendum est. HETLIN. Huc igitur redit res,
 ut uulgatum illud: Væ homini soli, quoniam si
 ceciderit, non habebit subleuantem se, in eos
 tantum quadret, qui in matrimonio constituti,
 summa etiam animorum coniunctione copula-
 ti sint.

DE MATRIMONIO.

ei sunt. MELAN. Res ipsa clamat, eos qui in
 matrimonio animorum societate non iungan-
 tur, nullius rei minus atq; mutui huius adiutorij
 memores esse. HETLIN. Et tamen nihilo mi-
 nus in eos fines institutum est, principio ut so-
 bolem procreemus, deinde ut supra uitemus
 propria contenti, postremo ut in omnibus uitæ
 necessitatibus nec mulier uiro nec uir mulieri
 desit. Neq; abusus rei hic aufert substantiam.
 MELAN. Tenes. HET. Iam si tanta est matri-
 monij dignitas, quid de castimonia & uirgini-
 tate sentiendum est? quid de sacrificorum uo-
 tis? MELAN. Egregiam uirginitas in scriptu-
 ris laudem habet, ita, ut nulli unquam si donū
 hoc nactus sit, ducendæ uxoris autor futurus
 sim. Ad omnia enim munera subeunda aptior
 est cælebs atq; uxori alligatus, propterea q̄
 minus hic impedimentorum sit, cum quibus fe-
 rē matrimonium coniunctum esse solet. Idem
 Paulum quoq; sensisse credendum est, cum di-
 ceret: cuperē omnes esse sicut ego sum. Con-
 tinentiæ donum nactus erat, quod obuijs etiā
 uicinis consentiente uxore, cuius ad Philippen-

In quos
 fines in-
 stitutum
 matri-
 moniū.

DE MATRIMONIO.

virginitas.

ses meminit, amplexus est. Quod ipsum si nobis quoque diuinitus contingat, plane stulti sumus, si non eo ipso, cum tanta commoda habeat, cum gratiarum actione utamur. HETLING. Ergo uirgines quæ continentia uotum sectantur damnari non merentur? MELAN. De ijs quæ nescio quod monasticum institutum profitentur non dico: Istæ enim sub castitatis prætextu non Christi ueluti mentiuntur, sed monachorum ferè sponsæ sunt. De ijs potius loquor, quæ continentia propositum, uel apud parentes, uel cognatos uel pia quapiam uiuendi ratione tuerentur. Nam in monasterijs præstare istuc quo pacto possint non uideo. Equidem uideri uirgines uolunt, propterea quod in speciem à contubernijs uirorum abstinent. Sed non semper solæ sunt, crede mihi, quæ à solitudine solitaria dici sustinent. HET. Mirum ni illud in istas uestales quadret, quod Festus pompeius Ticinium quendam, teste Erasmo, scripsisse dicit: Osce & uolsce fabulantur, quia latine nesciunt. MELAN. Mea igitur sic est ratio, & sic in animum induco meum, uirginitatis donam, si
cui à

DE MATRIMONIO.

cui à Deo contingat, & commendabile esse apud omnes, & cõtemni prorsus non debere. Eos uero qui illiusmodi donum non habeant, siue mares sint siue sceminæ, ex debito esse alligandos matrimonio. HETLING. Fortassis iuxta illud: Melius est nubere quã uri. Item: Non omnes capiunt uerbum hoc. MELAN. Quod si etiam uel Monachi sint sacrifices, qui se ineptissimo uoto obstrinxerunt, tamen si uruntur matrimonij medicinã licitam esse sibi meminisse debent. Neq; enim frustra ad Corinthios Paulus inquit: An non habemus potestatem, sororem mulierem circumducendi, quemadmodum & cæteri Apostoli, et fratres domini, & Cephas? Quod Apostolis & Episcopis. 1. Timo. 3. permissum fuit, idem nobis quoq; hac in re permissum esse iudicandũ est. HET. Quid si Romanus Pontifex & Car. nales illius hoc ipsum uetent? MELAN. Hi quod imperium habent, eo in cynceos suos spadones utantur. Germani Papyriorum isturũ nec ius moramur nec imperiũ agnoscimu. Agnoscimus uero Christum, cuius beneficio

Monachi uos
tantj.

G 2 nobis

DE MATRIMONIO.

Matrimo
nū leges
 nobis per uerbū, matrimonij non tam laicorum
 quàm Episcoporum ac sacerdotum dignitas pa-
 tefacta est. HET. Utinam igitur lege & digni-
 tas hæc confirmaretur, & adulteri coererentur.
 MELAN. iuxta Solenis leges, mæchus in
 adulterio depræhensus, occiditur. iuxta Zaleu-
 ci legem, depræhenso adultero oculi eruiuntur.
 iuxta Moysen lapidibus cum adulter tum adul-
 tera obruuntur. Ad hunc modū apud nos quo-
 que aduterijs modus statui posset, si nō princi-
 pes ipsi, quorū autoritate fieri hæc debebant,
 omni turpitudinis genere polluerentur. HET.
 Conuiuentibus igitur ad tantū crimen princi-
 pibus, quid faciendum censes? MEL. Interpel-
 landus per Christum Deus est, quò uxores
 nostras ex æquo omnes Chijs mulieribus, nos
 uero Hieroni Syracusano similes faciat. HET.
 De Hierone, quo pacto Epicarinum poetam,
 quod præsentem uxorem lasciuos uersus recita-
 set, mulctarit, memini. De Chijs mulieribus
 nescio an aliquando legerim. MEL. Hæ tanta
 fuerunt castitate, ut neq; adulterium neq; ille-
 gitimus concubitus apud eas unquam accidisse
prodatur.

DE SCANDALO

prodatur. HET. Si istuc impetrare à Deo possemus, præsertim principibus hac in re officium nõ facientibus, consultum bene tum nobis tum uxoribus nostris esset. MELAN. Quemadmodum uiri: ita mulieres quoque ex æquo omnes nunquam frugi futuræ sunt. Demus igitur operam sedulo, ut suam quisque in officio contineat. HETLINGVS. Equidem ipse mihi hinc ne utiquam defuturus sum. Mea enim res agitur. MELAN. Sapis.

Colloquium de Scandalo seu offendiculo.

RHODOPHANTA. CRISPINVS.

Quam es Crispine tenuis? quam macilentus? Non puto annonæ caritatem sensisse te, ut qui cælebs & solus uiuas, adeoque salarum non omnino contemnendum habeas. CRISPINVS. Memorabilis apud nos omnino fames fuit, fateor, sed tamen Dei ac amicorum beneficio me haud ita multum adfluxit. Vulgus fermè id genus plagis impetitur, cuius etiam uicem sæpe profecto miseratus sum.

DE SCANDALO

tus sum. RHODO. Forsan, quod de Chærephonte tragediographo quoq; legitur, nimis te lucubrationibus ac laboribus extenuas.

CRISPI. Equidem officij memor studijs semper intentus sum, sed tamen ita, ut uulgatum illud: Ne quid nimis, nunquam transgrediar.

Et profecto Chærephonti hic, quem propter macilentiam istiusmodi, noctuam per iocum dicebant, quàm leoni Byzantio sophistæ similis esse malo. RHO. Istū ne intelligis qui sumpto à pinguedine cū sua tum uxoris argumēto,

magnam apud Athenienses seditionem pacauit? CRIS. Illum ipsum. RHODO. Sed est ne eadem ad huc apud uos annonæ caritas?

CRISPI. Nouæ huius anni fruges aliquanto mitiorem fecerunt. RHODOPHANTA.

Nihil mirum. Fertilis enim gratia Christo, & fecundus fuit. CRISPINVS.

Verentur tamen pleriq; parem hoc anno in populo famem futuram. RHODOPHANTA. Unde istuc conijtiunt? Fuerunt ne Deo à consilijs?

CRISPI. Nosti opinor quàm simus proni ad diffidētiā si desit quod oculos exatiet.

Ex ista

Diffiden-
tia agna-
ta homi-
nibus.

SEV OFFENDI.

Ex ista quæ per hosce dies fuit aquarum inundatione, hæc conijtiunt. RHODO, Ego uero tantam fuisse nõ spero, ut fames de nouo hinc extimescenda sit. CRISPI. Ego quoque de domini bonitate meliora mihi polliceor, Et tamen animum meum nonnihil perculit scripta per hosce dies Coruini ad Cymeum nostrum hac de re Epistola. RHODOPHAN. Compatriem meum charissimum nominas. Sed quid is scripsit? CRISPINVS. Scripsit ita inundasse Visurgim Eschnegij, Altendorfsij, Vicenhausij, & Mundæ, ut non frugibus solum maximam calamitatem inuexerit, uerumetiam solidas ædes subuerterit, homines suffocarit, iumenta absumpserit, & omnibus præsentaneum exitium ueluti iam iam intētarit. Ad hæc, Saxonie quoq; & Thuringie partem quæ Hessie contigua sit, eandem calamitatem sensisse. Iam cū constet earum regionū fertilitate, multorū inedia per hoc famis tēpus succurrsum esse, quis non uereatur, ex accepto tanto frugū & reliquarū rerum ad esculēta quæ pertinet, damno, aliquam annonæ caritatē secuturam?

DE SCANDALO

Vulgus
versatilis.

Addidit autem Coruinus, nihil in tanta incommoditate æque dolere sibi, atq; impiorū Blasphemias, caussam harum rerū iniquissime in abrogationem Papisticæ idololatriæ reijcientiū. RHODO. Non puto compatrem meū sui causa istis blasphemijs cōmoueri. CRIS. Vulgum, qui in omnia versatilis sit, offendi scribit, præsertim qui in alienis ditionibus per Euangelium ad salutem non erudiatur, & Euangelicæ doctrinæ capax nondum sit. Imò dicit passim in nostra quoq; ditione reperiri, qui subdubitēt, cui nam tanta calamitas accepta referri debeat, peccatis ne nostris, an Papistarum impietati. RHODOPHPANTA. Vbi sermones huiusmodi uulgo seruntur, ibi doctrina quoq; indubium uocetur necessum est. Vocata autem in dubium doctrina, quid aliud subsequi solet, atque omnis generis offendicula? Probe igitur contra hæc, Christiani animum munitum esse oportuit, præsertim cum ea quæ fieri passim iam nunc uidemus, dolorum non finis, sed seu præludium quoddam & principium sint, uel Christo teste.

CRIS.

SEV OFFENDICVLO.

CRISPINVS. Istuc ut credam, iterum Corui
ni literæ faciunt, in quarum calce significauit
per totam Saxoniam pestem grassari. RHOD.

Pestis.

Cum igitur in foribus sint fames ac pestis, à qui-
bus malis indubie etiam, nisi peculiari beneficio
hoc omen Christus auertat, gladius quoque pro-
cul non abest. Quis non uidet summe necessa-
rium esse, ut contra omnis generis scandala pro-
be muniamur? CRISP.

Idem ego quoque sen-
tio. Neque enim prius episcopi saxum hoc uer-
sare cessabunt, pastores scilicet omnium Chri-
sti, qui toti Germaniæ arma induant. RHOD.

Sæpe uidi malum consilium consultori pesti-
mum fuisse. Et ferè qui perniciem alijs nulla de
caussa machinantur, suo ipsorum gladio iugu-
lari solent. Quis autem scit, istis de belli ratione,

qua Lateranos opprimant, sic consultantibus,
Christus noster quid meditetur, quid ue in animo
habeat? Videant ut ne aliquando de illis cætem?

Episcopi
sanguini
narij.

Inciderunt in foueam quam faciunt. CRISP.

Cui ego illud additurus è scholis sum:

Nec enim lex æquior ulla est,

Quam necis artifices arte perire sua.

G s. Quam

DE SGANDALO.

Quamquam quid de istorum mitratorum insania uehementer solliciti sumus, cum curam nostris habiturus sit, qui rerum habenas cum in cælo tum in terra moderatur. Tu mecum de scandalo, ita uti cœpimus, colloquere. RHO. Scandalorum ita plena sunt, quoquo tandem uertas oculos, omnia, ut non abs re dixisse Christum adpareat; Væ mundo à scandalis. Offenduntur passim pij, offenduntur item impij, sed diuersa ratione. Pij propter imbecillitatem, impij propter obstinatum malitiam offenduntur. CRISP. Scio scandalum in genere nihil aliud esse, atque offendiculum quoddam, quo quis à semel suscepta uel doctrina uel uitæ norma, ad aliud uel doctrinæ uel uitæ genus abducatur: sed cum aliàs impij aliàs pij offendantur, recte mihi duo offendiculorum genera ponere uideris. RHODOPH. Nisi hæc ponerentur, dici etiam hisce de rebus ordine non posset. CRISP. Principio igitur obsecro dic, qua in re illud offensionis genus situm sit, quo impiorum & hypocritarum uulgus offendi solet. RHODOPH. Ex doctrina sana & consen-

Scanda-
 lū quid.

SEV OFFENDICVLO.

consentaneis uerbo Dei operibus, oriri solet. Cum enim impiorum doctrina Euangelicæ ueritati ferè sit contraria, ut quæ proprijs uiribus quod Christo tribuendum erat, obstinatè tribuat, qui posset, obsecro, tam diuersa docentium hic constare cōcordia? Nihil, crede mihi, æque hominum disiungit ac separat animos, atque opinionum & doctrinæ diuersitas. CRIS. Maius tamen periculum ijs imminet, qui prauis opinionibus infecti, quod falsum est tuentur, atque ijs qui à ueri negotio diuelli nō sustinent. RHODOPH. Idem homo Ethnicus quoque nimirum Plato iudicauit. Putat enim in Gorgia, nihil esse hominibus tam perniciosum, atque falsam opinionem. CRISPIN. Sana igitur doctrina & opiniones Christiano dignæ in causa sunt, ut offensi hypocritæ à nobis dissentiant? RHODOPH. Imò ipsa quoque uiuendi ratio. Aliter enim Christiani uitam instituunt atque hypocritæ. Christiani iuxta uerbi præscriptū uiuunt quàm simplicissimè, contenti si instituti sui in quo agunt, Deum autorem habeant. At uero hypocritæ & iustitiarij istis tam contem-

scanda
lam quo
p̄j offen
duntur,
quale.

ptis in

DE SCANDALO.

Exēpla
scandali
impiorū

ptis in speciem uitæ generibus tantum abest ut contenti sunt, ut etiam noua subinde comminiscantur, nunc hoc nunc illud eligētes quidem, sed tamen ad conscientiaē tranquillitatem nunquam peruenientes. Ac quidem harum rerum exempla cum scriptura ipsa habet, tum tempora nostra abundè suppeditant. De primo genere prius dicam. **CRISPIN. DIC.** Attentum enim auditorem habiturus es. **RHODO.** Cum Euangelicam sementem Christus Hierosolymis facere ordiretur, à Mosaicæ seruitutis iugo ad fidei iustitiā abducturus homines, quanta fuit, Deum immortalem, apud omnes admiratio? quantæ dissentientium turbæ? quot offendicula & scandala? Plerisque pro falso doctore, plerisque pro phanatico, plerisque pro dæmoniaco habebatur. Et cum à pharisæorum simulata religione in uniuersum abhorrere uideretur, eandemq; nusquam non incesset, adfectus quoque cordis in præstanda lege ostendens requiri, omnino contemptior iudicatus est, quàm cuius doctrinam contempto Moyse recipi conueniret. Nonne hic est, inquiunt
Matt.

SVE OFFENDICVLO.

Matt. 23, fabri filius? Et alibi: Seducit turbas.
 CRISPIN. Sic apud Marcum quoque interro-
 gantes dicunt: Quid est hoc? Quæ doctrina
 noua hæc? RHODOPH. Mirum autem nulli
 uideri debet, quòd ad Christi prædicationem
 tanta animorum facta est apud Iudæos cõmo-
 tio et perturbatio. Legis iustitia turgidi erant,
 cuius rei gratia etiã erectis cristis se alijs ante-
 ferebant. neminem non præ se fastidientes. E-
 am uero hypocrisin cum ubique uerbis percel-
 leret Christus, strennue interim fidei iustitia
 tradita, factum est, ut scandalorum in populo
 plena fuerint omnia. CRISPIN. Credo. Neq;
 enim ea quibus à teneris assueuimus, facile de-
 discuntur. RHODOPH. Ad hunc modum ui-
 tæ quoque illius ratione uehementer offensa
 sunt. A Saducæorum enim instituto abhorre-
 bat. Phariseos propter falsam sanctimoniam
 persuasionem fastidiebat. Sacerdotum super-
 cilium detestabatur, abiecta quadam, sed tamẽ
 pia uiuendi ratione contentus. Quid? Ad pec-
 catores & publicanos frequentius diuertisse
 legitur, atq; ad superciliosos istos iustitiatios,

ut Chris-
 tus uio-
 xerit.

NON HÆ

DE SCANDALO

non ut mores illorum à uera pietate dissidentes
 confirmaret, sed ut sanandis peccatoribus sese
 uenisse testificaretur. CRISPIN. Vera hæc
 esse nullus dubito, præsertim cum apertè in
 Euangelio dicat: Non ueni propter iustos, sed
 propter peccatores, ubi haud dubiè de ijs uer-
 ba facit, quos & peccatum agnituros & do-
 ctrinæ suæ fidem habituros sciebat. RHOD.
 Hoc quidem fuit animi illius propositum,
 ut perditas oues domus Israel ad caulas gre-
 gum humeris suis reportaret, sed tamen nihilo
 minus audire coactus est: Hic est amicus pu-
 blicanorum, et cum peccatoribus cibum sumit.
 Item: Si hic propheta esset, non se contrectari
 pateretur, mulier enim peccatrix est. CRIS-
 PINVS. Recte ergo alibi dixit: Beatus qui nõ
 fuerit in me scandaliçatus. Haud dubiè enim
 hic & de doctrina dicebat, quæ abieçta uide-
 batur, & de diuinitatis natura, quæ sub ista
 crucis forma delitescibat. RHODOPHAN-
 TA. Quis autem nescit eadem fuisse cum in
 Iudæa, tum apud Gentes offendicula, cum à
 Christi resurrectione Apostoli quoq; Euan-
 gelium

SEV OFFENDICVLO.

gelium annunciarent? Principio doctrina æ-
 grè admittebatur, ut quæ non solum rationis
 humanæ captum excedebat, uerumetiam om-
 nem omnium gentium superstitionem, quam
 ueluti ab ipsis incunabulis imbiberant, subuer-
 tebat. Ad quem modum conuersatio quoque
 illorum ceu plebeium quoddam uitæ genus ex-
 plodebatur. Quòd enim apud istos mundi sa-
 pientes neque in precio fuerint neque autorita-
 tem habuerint, uel hinc liquet, quòd Paulum
 Athenis ceu uanum hominem ac spermologum
 quempiam aspernati sunt. CRIS. An non fuit
 eadem nostris quoq; temporibus animorū per-
 turbatio, eadem offensio, eadem turbæ, cum
 exorto Euangelij iubare à Papistica hypocrisi
 ad uerum cultum Dei reuocarentur homines?
 RHODOPHAN. Plaustra conuiciorum, ex-
 ecrationes, imprecationes, atq; adeo innumera
 excommunicationis fulmina in Luterum rei hu-
 ius secundum Deum caput, ac doctrinæ illius
 sectatores Romanus Pontifex eiaculatus est,
 sed frustra. Qui patefieri enim ante aduentum
 suum omnibus gentibus Euangelicam uerita-

Doctrina
 na & uis
 ta si Euā
 gelio cō
 sentiant,
 offendū
 tur im
 pñ.

DE SCANDALO

Missa,
 nota,
 sacerdos
 et coniu-
 gium,
 etus car-
 nium.

rem uoluit, is ab id genus malis nullo nego-
 cio conseruare suos potuit. Sed heus Crispine,
 quanta minarum tonitrua tum audita sunt, cum
 Papisticum sacrum abrogaretur? cum uota
 monastica tollerentur? cum sacerdotes matri-
 monio iungerentur? cum uestales uirgines uo-
 torum immemores matres familias fierent? cum
 delectus ciborum reijceretur? Nemo hic scan-
 dali rationem habuit, sed qui ueritatem agno-
 uerunt, uel inuito Papa quod rectum, quod ho-
 nestum, quod literis sacris consentaneum iudi-
 cabant, amplectebantur. CRISPIN. Siccine
 ergo hypocritæ, si cedere ueritati detrectent,
 contemnendi sunt, atiam si uehementer offen-
 dantur? RHODOPH. Principio adserenda
 ueritas est, ita ut certæ de doctrina reddi pos-
 sint conscientia. Deinde adserta ueritate, ad-
 eoq; reddita adfatim doctrinae ratione, pericu-
 lum faciendum est, num aduersarij uel preci-
 bus uel admonitionibus nostris Christo queant
 lucrifieri. Qua etiam in re non mediocris ad-
 hibenda est diligentia. Quod si sic conuicti,
 sic commonesacti, sic tractati, cedere tamen
ueritati

SEV OFFENDICVLŌ.

ueritati recusat, iam et recipiendum & defendendum uerbum & uita iuxta Christi doctrinam instituenda est, etiamsi totum orbem offendi oporteat. Sic enim Christus quoque, cum audiret sermonibus suis Pharisæos offensos esse: finite, inquit, illos, cæci sunt, duces cæcorum. CR SPINVS. Si quod dixisti recte adsequor. Recipienda Euangelij doctrina est, adeoq; iuxta præscriptum illius uita nostra instituenda, etiamsi Papistis illa rumpantur omnibus. RHODO. Tenes. CRISPI. Quid

Quatenus scandalum habenda sit ratio.

igitur, iam nunc de eo offendiculi genere sentis, quo infirmiores fratres & pii offenduntur? Aut hoc ipsum qua in re sitū est? RHODO.

Cum sub Euangelij & Christianæ libertatis prætextu, uel ad opiniones ab Euangelij sinceritate dissentientes, uel ad uitam ab Euangelico instituto diuersam fratres abducimus.

scandalum quod fratres offenduntur.

CRISPI. Puto tamen eos qui à simplicitate uerbi transuersas agunt conscientias, idque sub purioris doctrinæ prætextu, longe nocentiores esse ijs, qui morum corruptela nocent.

RHODOPHAN. Neutrum probari mere-

H tur.

DE SCANDALO.

tur. Et tamen si inter duo mala alterutrum eligendum foret, tolerabilius damnum esset, morum corruptela, atq; malæ doctrinæ contagium. Conseruata enim doctrinæ puritate, consuli morum corruptelæ potest, quodq; perperam & contra diuina præcepta geritur, corrigi. At uero uiciata doctrina, actum de nobis est, etiamsi in speciem & iusti & sancti corâ mundo uideamur. CRISPI. Fortassis huius rei gratia, diuus Paulus opera sua in lege facta stercorebus comparat, quem tamen cæremoniarum & præceptorum legis, quod quidem ad externam illam laruam adtinet, obseruantissimum, eoq; merito inter Phariseos habitum fuisse, nemo est qui negare possit. RHODO. Quid ni? Sed tamen tollerabilior est hic Pauli contra Euangelium ex ignorantia insanientis, lapsus, atq; eorum qui cum Euangelicissimi & ipsissimi ueritatis propugnatores uideri uelint, tamen opiniones in Ecclesiam sub hoc nomine inuehunt pestilentes & noxias. CRISPI. De hoc doctorum genere idem Paulus intelligendus est opinor, ubi à conuersione Ephesinis

Pauli
lapsus.

SEV OFFENDICVLO.

Ephesinis presbyteris dicit: Ex uobis ipsis exorientur uiri loquētes peruersa, ut abducāt discipulos post se, propter quod uigilate, memores quod per triennium nocte & die non cessaue-
rim cum lachrymis monere unumquenque etc. Significanter enim dicit ex ipsis exorituros, qui peruersorum dogmatum autores futuri sint in Ecclesia. RHODO. Nihil à scopo aberras. Quotquot enim à nato & crucifixo Christo hæretici in Ecclesia extiterunt, uirus doctrinæ suæ sub Euangelij nomine ac ueritatis prætextu, in uulgus sparserunt. Quid? Satanæ quoque ipse, cum Christo diuersum quiddam ab instituto ipsius persuasurus esset, scripturam citauit, quò uidelicet uideas, scripturam ab hæreticis, quorum caput ipse ac ueluti antesignanus sit, citari quidem posse, at uero syn-
cere exponi non posse. CRISPI. Quantum autem numerus eorum fuit, hætenus qui praua doctrina miseris conscientijs, non habita scandali huius ratione, imposuerunt. RHO. Vix mihi à lachrymis temperaturus essem, si enumerandi omnes ordine essent, qui à Chri-
sto nato

scriptura
rã hæretic
ei tor-
quent ad
sua som-
nia.

DE SCANDALO

stonato ad nostra tempora usque prauæ do-
 ctrinæ contagio Ecclesiam adfluxerunt. Vel
 unus Papa, quot & quantas sub Christi &
 Apostolorum nomine, in orbem inuexit erro-
 ris tenebras? quot uitæ genera modis omni-
 bus ab Euangelij synceritate dissidentia? Sed
 huius Antichristi imposturæ, lippis nunc &
 tonsoribus notæ etiam sunt. De ijs qui ex no-
 bis exierunt, tametsi ex nobis non fuerint di-
 cam. Quid nocentius, quid pernitiosius exco-
 gitari posset eorum perfidia, qui sub Euangelij
 prætextu & pueris nondum adultis Baptis-
 mum negant, & Anabaptismum nescio quem
 hinc statuunt? CRISPI. Cur Muntzeranos
 cur Sacramentarios taces? RHODOPHAN.
 Muntzeranorum dogma crassius erat, quàm
 uel cuius mentio fieri debeat. CRISPI. Inte-
 rim tamen multos offendit, & à uero deter-
 ruit. RHODOPHAN. Dignam igitur factis
 istis mercedem nacti sunt. Sacramentariorum
 dogma ut subtilius: ita plausibilius apud do-
 ctos erat. Quid quod uiri hic impegerunt in-
 signiter cum doctum probi? Sed gratia Deo
qui

SEV OFFENDICVLO.

qui tandem miseratus Ecclesiae suae uicem, & nobis illos & nos illis restituit, ita ut iam bona ex parte inter nos Alcedonia suit. CRISPI. Ad Anabaptistas ergo redi. RHODO. Horum doctrina cum multis, iisque ualde pernitiosis erroribus coniuncta est. Quam enim impie de paruulorum Baptismo garrunt? quam inepte de corporali regno Christi? disputant? quam ridicule uxorū pluralitatem docent? quam friuole de submouendis loco magistratibus disserunt? Atq; hæc tam inepta dogmata, quibus pusillum Christi gregem offendere audent, æque praua uita excipit. Gladium nõ iussi à Deo sibi uendicant. Publicam pacem uiolant. Aliena per uim & inuadunt & possident. Tributa & uectigalia principibus dene-gant: CRISPI. Atqui Christum uidemus staterem cum pro se tum pro Apostolis soluere, ne cui sint offendiculo. RHODO. Hæc isti ad se pertinere non existimant. Et quid tibi commemoratione istarum rerum aures calfacio? Breuibus describi possunt: nimirum quod homines sint omnium quos terra habeat pessimi,

Anabap-
tistarum
erroris.

H s quiq;

DE SCANDALO

quiq; Christi Ecclesiam non solum prauæ do-
 ctrinæ contagio, uerumeitiam morum & ui-
 tæ corruptela offendant perniciosissime. CRI-
 SPINVS. Quid uero de ijs sentiendum est,
 qui quanquàm Euangelio nomina dederunt,
 tamen ita uiuunt, ut præstaret diuulsos & sepa-
 ratos à nostris esse, atque cum tanto scanda-
 lo inter nostros conspici? RHODO. Lex est
 apud Moysen quinto libro de non percacan-
 dis castris Israeliticis commoda & plane ne-
 cessaria. Puto autem per eos qui hanc uiolant,
 significatum esse hoc hominū genus, qui cū E-
 uangelium semper in ore habeant, tamen in-
 terim nullo non flagittorum genere contami-
 nant sese. Putant sibi licere quiduis. Procul
 sunt à pietate, procul à pietatis operibus, sacra-
 menta si non contemnunt certè negligunt, ora-
 tionem uacant nunquàm, sublata ieiuniorum hy-
 pocrisi, prorsus à temperantia cibi & potionis
 abstinent, rati fortassis si carnibus semper
 uescantur, tum demum officio se egregie fun-
 ctos esse. Quid dicam de adulterijs, scorta-
 tionibus, usura, imposturis, fraude, quibus non
aliter

Percaca-
 tores ca-
 strorum
 Israeliti-
 corum.

SEV OFFENDI.

aliter ornati sunt, atque diuus Iacobus, iuxta Germanicum prouerbium conchis marinis? Horum autem uicio fit, ut passim male audiatur Euangelica ueritas. CRISPI. Atqui arcendi tandem excommunicationis gladio è contubernio nostro sunt, magnum alioqui damnum daturi Euangelico negotio. RHODOPHAN. Atque hoc quanto citius factum fuerit, tanto caussa nostræ consulatur rectius. CRISPI. Hos quoque in caussa esse arbitror, quod plerique ueluti Coruinus scripsit subdubitare incipiunt, cui calamitas horum temporum referri accepta debeat, Papistarum ne idololatriæ an peccatis eorum, qui se falso iactant Euangelicos. RHO. Vtraque pars in causa est. Sed quid facias? Propter improbos quosdam nec potest nec debet contineri Euangelica ueritas. Qui tales sunt, haud dubie iratum aliquando sensuri sunt iudicem. Neque enim abs re dictum est: Qui scādali tauerit unum de pusillis istis qui in me credunt, satius fuerit eum mola asinaria de collo suspensa demersum esse in mare. liē: Ne cibo tuo illum pdas, p quo Christ⁹ mortu⁹ est.

DE SCANDALO

CRISPINVS. Quantum ex ijs locis li-
 quet, dura profecto sententia eos manet, qui
 uel peruersa doctrina uel malorum morum
 contagio Christi Ecclesiam uel perturbare uel
 lædere audent. **RHODO.** Adde durissima.
 Cum enim Christus manifeste dicat, sibi fieri,
 quicquid tandem uni ex minimis istis, qui in
 se credant, fiat, uerisimile est in omnis generis
 offendicula grauissime animaduersurum esse.
CRISPI. Ego igitur illud ex Psalmorum libro
 perpetuo in ore habiturus sum: Custodi me à
 scandalis operantium iniquitatem. **RHODO.**
 Et ego uel in primis eò, iuuante Christi spiri-
 tu enitar, ut charitas cum Dei tum proximi
 in me uigeat. Qui fratrem enim diligit, in lu-
 mine manet teste Ioanne, & offendiculum in
 eo non est. Sed quid iam facturus es? **CRI-
 SPINVS.** Confectis negotijs quorum cau-
 sa huc ueni, statim hinc me amoliar. **RHO-
 DOPHANTA.** Ientaculum tibi in ædi-
 bus meis parabitur. Id ut antea quàm hinc pro-
 ficiscare sumas, rogo. **CRISPI.** Fiet.

COLLO-

DE VOTIS MONAST.

Colloquium de uotis monasticis.

BIERMANNVS. AGNESIVS.

CVR frontem corrugas Agnesi? Ecquid tristis es? Satin' salua? AGNESIVS. Si

unum incommodum excipias, salua sunt omnia. BIERM. Quod nam est illud? AGNE.

Haud ita magnum est. BIERM. Ego uero non contemnendum esse existimo, quod quidem te

sic discruciare possit. AGNESI. Discrucior nonnihil, fateor, sed eum cruciatum uel una

res discutere possset, & ex animo meo delere, si mihi tu operam mediocrem locare uelles.

BIERM. Quasi uerò ut erga te adfectus sim, non sis expertus antehac. Dic istuc quid sit, et

consilio te & re ipsa, modo queam, iuuero. AGNE. Prouerbio dicitur sacram rem esse cõ-

silium. Id si unquam aliàs sensi, certe iam uel in primis experiri cupio. BIERM. Consilio igitur

opus habes? AGNES. Diuinaasti. BIERM. Qua in re? AGNES. Sororem meam nosti na

tu minorem? BIERM. Quid ni? AGNE. Ea ut à monacharum instituto semper abhorruerit,

uix uerbis consequi queam. Iam uero quibus

DE VOTIS.

nescio oblectamentis in vicino monasterio in-
 escata, mutauit sententiam, aut uitæ id genus
 nunc amplexura, aut si prohibeatur, lachrymis
 se perpetuo consecutura. Ego quanquam uirgi-
 nitatis instituto impense faueã, ita ut ipse quo-
 que præter unam uxorem nullam sim unquam
 contrectaturus, tamen cum perspectũ habeam
 illius ingenium, haud ita facile ut se isti uitæ ge-
 neri dedat permissurus sum. Volo tamen prius
 tuum quoq; hac in re audire consiliũ, ne pridie
 committã, cuius me postridie pœnitere possit.
BIER. Vt sunt monachæ istæ edoctæ ad ma-
 *litiã? Solent ad eum modum in nassam pelli-
 cere iuenculas, ut quæ suapte natura à contu-
 bernijs ipsarum abhorrent, uel blandimentis
 huc & munusculis inuitentur, cum tamen post
 ea in sui iuris factas sunt inhumanissimæ. **A-**
GNES. Scio. Me uero blandimenta istiusmo-
 di prorsus ab istarum moribus alienum faciũt.
 Neq; enim diu uoluntarium esse potest, quod
 uel prece uel precio quasi inuitis extorquetur.
 Cessantibus oblectamentis istis uereor ne fer-
 uor quoque ille haud ita diuturnus futurus sit.
Certè

Monachorum
 blandimentis.

MONASTICIS.

Certè parentes nostri cum uiuerent adhuc, nūquam induci, ut uel unam ex istis in id uitæ institutum detruderent, potuerunt. Iam quod à patre impetrare non potuerunt, istuc ego à me impetrari patiar? Prorsus hic inter saxum & sacrum hæreo. BIERM. Aiunt Atheniensium sacerdotes (Hierophantas uocant) quo mundius uiuerent, sorbitione cicutæ castrasse sese. Ego uero ueveor, si quando uxorias uoluptates, primo instituti huius feruore tepesfactio, appetere cœperit, parum hic cicutam ualituram esse. Quare quod fortassis tum ferre cogere-
ris cum dedecore, id nunc paruo negotio ut ne usu ueniat, cauere potes. AGNES. Itâne suades? BIERM. Quod ipse facturus in simili casu essem, idem tibi quoque consulo. Quod si omnino lachrymæ illius aliquandiu ferendæ erunt, malo iam, salua adhuc re, feras, quàm tum cum facti in hac re sumptus sarciri & re-
peti non possunt. Diuitias uestras, crede mihi, non sororis commodum quærūt. Si frugi esse, si seruire Christo uolet, facere istuc in tuis quoque ædibus potest. Omnis locus ad bene-
facien-

Hiero-
phantæ.

DE VOTIS

faciendum, ad orādum, adq; seruiendum Deo
 sacer est. Quòd si quis rem exactius perpen-
 dat, quid obsecro ista uitæ instituta peculiare
 habent, quod non æque sanctè uirgo quæpiam
 in paternis ædibus præstare possit? AGNES.
 Istuc quidem ex te audire aueo, quem ego non
 solum domesticæ curæ peritum, uerumetiam
 sacris literis addictum esse scio. Et ut uerum
 fatear, non parum animi mei propositum con-
 firmat, quod quanquam magisterij lauream Li-
 psia tu ex studijs tuis reportaris, tamen nunc
 ducta uxore aliud uitæ genus secleris. Quod
 si tantum momenti haberet, præsens uel sacer-
 dotum uel religiosorum status, quantum à ple-
 risque eidem tribuitur, non est dubium, quin tu
 quoque, quæ tua est prudentia, isti instituto
 addicturus fueris. BIERMANVS. Ego cum in-
 tegrum & liberū mihi esset uel hoc uel illud ui-
 tæ genus deligere, deligendum hoc, ad quod
 maximè natura propensus essem, existimaui.
 Et quod scis, ea mihi sic adfecto Christi beni-
 gnitate contingit uxor, quam ob morum hone-
 statem etiam cum Croesi diuitijs permutatam
 nouim.

Deligen-
 dū uitæ
 genus,
 cui as-
 ptus sis.

M O N A S T I C I S .

nolim. Neque dubito hic, quin æque pie in hoc instituto, atque istæ monachæ in suo, quoad uixero, uersaturus sum. Certe quiduis citius facturus, quàm me monastico uoto obstricturus eram. **AGNES.** Quæ ergo est apud illos, tam inflatis buccis iactata uotorum ratio? Quid uent? Neque enim de baptismi uotis loqui illos existimo. **BIERM.** Tria uota, quæ de religionis substantia sint, faciunt: obedientiæ uidelicet, paupertatis & castitatis, sed quæ cum admirabili furo coniuncta sunt. **AGNE.** Antea de ijs quàm dicas, rogo ut unde uota istiusmodi in Christianismum irrepserint, ostendas. **BIERM.** Ex male intellecta libertate Christiana irrepserunt. Cum enim passim, quatenus abrogata esset lex, ignoraretur, existimatũ est, eandem esse apud nos uotorum rationem, atq; apud Iudæos fuit. Qua sententia quid à libertate potest esse alienius? Christiani Baptismi uotum habemus, cum quo quicquid tandem pugnat, id merito ceu noxium quiddam reijcitur. Quòd si uota etiam pleraq; in Christianismũ admittenda essent, tamen nisi & licita sint & possi-

yota un
de.

DE VOTIS

Christia
norū uo
ta.

possibilia, adeoque à falsis opinionibus aliena,
iam pro irritis habeantur necessum est. Vnum
quodque enim uotum non tam opinione quam
facto pium & legitimum esse debet. AGNE.
Legitima ergo & pia uota in Christianismum
recipi possunt & intromitti? An non iam à lu-
daica uotorum superstitione dixisti liberatos
esse nos? BIER. Memini, modo quod uouemus
cum Baptismi uoto non pugnet. Habent enim
sua & Christiani uota, sed libera, sed uolunta-
ria, sed licita, sed uerbo Dei consentientia, ue-
luti si quis uoueat uel cum Zachæo dimidium
bonorum se erogaturum in pauperes, uel do-
mandi corporis gratia ieiunaturū, uel à tessera-
rum ludo, ne quid liberis, uxori, familiæ ue de-
sit, perpetuo temperaturum, non quòd id ge-
nus operibus peccatorum remissionem quæ so-
li fidei debetur, impetraturum se credat, sed
quòd sciat, fidem quæ operibus bonis ac morū
honestate fecunda non sit, nihil minus ac fidē
esse. AGNE. Quantum audio, uouere Chri-
stianus nihil potest, nisi quod uouet, cum fa-
cto tum opinione licitum sit. BIER. Istuc qui-
dem

MONASTICIS.

dem Christianæ libertatis ratio exigit, quam cum Iudaicis cæremonijs commisceri prorsus non conuenit. Quid quod uotorum nomine, laudis sacrificium plerique accipiunt? id quod improbare certe non possum, cum Psalmographum dicentem audiam: A te laus mea in ecclesia magna, uota mea reddam in conspectu timentium eum. Item: Immola Deo sacrificium laudis, & redde aliusimo uota tua. AGNES. Meo tamen iudicio non tam laudis sacrificium Deo obtulerunt filij Israel, quàm externa etiã uotorum munera, quæ ceu externum quoddã grati animi indicium apud eos erant. BIERM. Non reclamo. Quia uero futurarum rerum umbræ tantum cæremoniæ istæ erant, & iam spiritualia facta sunt omnia, non inepte uoti nomine laudem nominis Dei & gratiarum actionẽ acceperis. Sed agè, uideamus monacharum istarum uota, quatenus legitima & possibilia sint, quatenus licita, quatenus denique baptismi uoto consentanea. Ac quidem principio obedientiam uouent. AGNE. Deo ne? BIERMAN, Ei quidem uel ex baptismi pacto eandem de-

votũ in-
terdum
gratiarũ
actionẽ
signifi-
cat.

DE VOTIS

Obedi-
entia uotū

dem debebant - Sed cum perfectius hic quid-
dam, quam cæteri Christiani præstaturas se
arbitrentur. Vouent etiã se ad eius diui, quem
instituti sui autorem habent, regulam ac præ-
scriptum uicturas, & prælati suis obedientiã
non denegaturas. An non autem à baptis-
mi uoto hic descipientes, & creatorem, cui primam
fidem dederunt, fallunt, & creaturæ se permit-
tunt arbitrio? Dicant enim ac respondeant, suf-
ficiat ne ad salutem Christi doctrina an secus?
AGNES. Non credo hic tam impudentes fu-
turas, istuc ut negēt. BIER. Si sufficit, id quod
nolint uelint fateri coguntur, cur igitur re ipsa
diuersum credere se testificantur? In baptismo
pollicitæ sunt Deo patri se, Christo filio eius
unigenito, & spiritui sancto per omnia fidem
habituras, adeoque malis Satanae instinctibus
profligatis, uni Deo seruituras. Hic uero præ-
stiti in baptismo uoti immemores, in hominis
uerba, hoc est, Benedicti, Francisci, Dominici,
uel aliorum uerba iurant, creaturam antepo-
nentes creatori. Quid indignius? Taceo quod
parentibus, magistratui, ecclesiarū præfectis,
quibus

MONASTICIS.

quibus etiam obedientiam secundū Deum debeant, æque immorigeræ fiunt. Quam hic rationem habent quarti præcepti: honora patres? AGNE. Magna profecto cæcitas in orbe fuerit hæctenus, necessum est. Qui diuersum ab Evangelicis literis uitæ genus inuererunt, pro sanctis habiti sunt. Rursus, qui fastiditis hominum tradituunculis, è scaturigimbus scripturarum uitæ doctrinam hauserunt, uel inter peccatores omnium maximos uel inter schismaticos numerati sunt. Ergo uel inuersa hac obedientia quid magis impium excogitari posset? quid à uera obedientia remotius? Et tamen monachorum ac monacharū uulgus efferre hanc ipsam uel in cælum laudibus solet, perinde ac si ipsi solū uere obdientes sint, neq; cæteris Christianis aliquid hic uel seratur uel metatur. BIERMAN. De huiusmodi hominū genere Propheta Esaias inquit: Væ qui dicunt malum bonum et cæ. ponentes lucem in tenebras & tenebras in lucem. Nam quod in obedientiæ uoto fecerunt hæctenus, idem in paupertatis quoq; negotio pari inuersione fecisse au-

Cæcitas
diutina.

DE VOTIS

votum
pauperis
tatis.

dies. De spiritu paupertate haud ita uehementer solliciti sunt. Quod si hanc ipsam etiam uere in animum inducerent, tamen sateri cogentur, ad omnes ex æque Christianos eandem pertinere. Cur igitur externum quoddam paupertatis genus uoueant, quis non uidet iterum prima fronte promitti, quod in recessu neuitquam præstetur? Diuitijs satrapas, fastu principes, crudelitate tyrannos uincunt, ita ut nihil minus sint quam pauperes. Habent oppida, habent arces, habent prædia, habent annuos census, habent in cœlum extructa palatia, & quid non? Certè si hoc & ludificari Deum & imponere hominibus non est, iam me herclè quid ludificari Deum sit nescio.

AGNESI. Sic apud homines semper maior est hypocriseos admiratio, atque ueræ pietatis. Quid? Res ipsa clamitat, nihil tam absurdum ab hoc hominum genere designari posse, quod non mundus in pretio habeat. Qui contra communem enim sensum, summas diuitias pro paupertate, tyrannicum fastum pro animi submissione habemus, quid non tandem de nobis

MONASTICIS.

nobis Satanas polliceri queat? **BIERMAN.**
 Aiunt Sigismundum dicere solitum, malle se
 cum potentissimo monarcha configere, quam
 cum uno ex mendicantium ordine Monacho.
 Vnde hanc uocem putas dimanasse? Videbat
 optimus princeps præterquam quòd propter
 excommunicationis fulmen metuendi erant,
 etiam opibus ita florere, ut uel potentissimo fa-
 cessere negotium possent. Nolebat igitur cum
 ijs crabronibus contendere, qui irritati abigi
 quidem possent, conquiescere non possent. Ni-
 hil igitur hic uouët, quod uel legitimum sit, uel
 scripturis consentaneum. Si spiritus enim pau-
 pertatè prætexüt, ea omnibus ex æquo Chri-
 stianis communis est, ita ut citra hanc nihil sit,
 quod de iustitia ac salute nobis polliceamur.
AGNESIUS. Credo. Inquit enim scriptura,
 Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est
 regnum cælorum. **BIERMAN.** Sin uero ex-
 ternum illud mendicitatis genus intelligunt,
 iam re ipsa conuicti sunt à mendicitate esse re-
 motissimos. An non igitur paupertatem uouen-
 do & rident Deum & imponunt hominibus?

Pauperes
 tas spiritus.

DE VOTIS

AGNE. Nisi eorum obstaret pietas, qui bona ista spiritualia, ut uocant, Ecclesijs donauerunt, idque pio fortassis animo, non indigni profecto essent, qui propter uiolatum tam scede paupertatis uotum, ad stiuam remitterentur. BIER. Ego uero si quid optando promoueretur, in eos usus in quos donata sunt, restitui cuperem. Neque enim negari potest quin longe alia fuerit olim monasteriorum ratio atque nunc est. Certè quod ad solemnia hæc uota ut uocant, pertinet, nihil hac de re uel apud Augustinum uel Hieronymum reperire est. Subscribam hac de re Erasmi uerba. De Hieronymo enim uerba faciens, permittit, inquit, possessionem rei familiaris, modo sit moderata. Permittit etiã agere cum matre, cum sorore, deniq; cum quibuslibet uiris & mulieribus, modo fugiant suspectã ac periculosam consuetudinem hortatur, non exigit, ut si malit peregre uiuere in contubernio multorum, patris alicuius arbitrio uiuat potius quàm solus suo. De monasterio certo, de figura aut colore, aut materia uestis, nulla usquàm mentio. Tantum eiusmodi uestitum uult esse.

In Epistola
ad Rusticum
Monachum.

MONASTICIS.

esse, ut nec sordibus hypocrisin, nec nitore fastum, præ se ferat. Iam de tribus illis uotis, quæ uacant solemnia, ne uerbum quidem illum etc. Et paulo post: Et haud scio, an nunc quoq; magis expediret Ecclesiæ Christianæ, si pauciora forent monasteria, quorum magnam partem ad mores parū religiosos prolapsam uidemus, essetq; idem omnium cultus, eadem preces, eademq; uitæ ratio, postremo quàm minimū seruitutis ac cæremoniarum, quæ magis ad ludæos pertinent, quàm ad Christianos: & superstiosum facere possūt, pium facere nō possunt, Hacten^o Erasmus. Quis igitur iam nūc paupertatis uotum, quod nuperū inuentum esse constat, adeoq; sub hoc prætextu ingentes diuitias possidet, uel legitimum uel sacris literis consentaneum esse credat? Taceo quod diuitiæ si uerus usus accedat, non solum damnationis causa nulli sint, uerumetiam benefaciendi proximo & egenti ansam & occasionem subministrant. Sic Paulus: præcipe, inquit, diuitibus huius seculi, non altum sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo uiuo,

I : qui

DE VOTIS

qui præstat nobis omnia abunde ad fruendū, bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere etc. Non præcipit ut diuitias abijciant, id quod philosophi etiam præstare queant & impij, sed ut benefaciendi hinc occasionem sumant, memores in hoc se diuitias nactos esse, ut ex ipsorum copia, aliorum succurratur inopia. AGNE. Pedibus hic eo in tuam sententiam. Si paupertas enim ac mendicitas pium facerent, iam Irum quoque Ithacensem, Codrum, Paulum Aemilium, Menenium Agrippam, Epictetum Philosophum, Plautum, Telymachum Acarnensum pios esse oporteret. Quis enim nescit hos longe pauperiores fuisse Monachis? Sed perge. BIER. Superest castitatis uotum, Deum immortalem, quam ineptum? quam à cordis puritate alienum? cum quanta sceditate coniunctū? Principio hic bona pars, quod præstare non possunt, hoc est, impossibilia uouent. Quam enim egregium donum est castitas: tam est uicissim etiam rarum. Et recte in hanc competit.

virginis
eatis &
castita
tis uotū.

Rara auis in terris, nigroq; sumillima cygno.
Atque

MONASTICIS.

Atque utinam isti qui apud monachas patris
 sibi apellationem usurpant, re ipsa interdum
 etiam non sint, quod audiunt. AGNESIVS.
 Ab istis sorori quoque meæ metuo. BIER.
 Deinde etiam illicita uouent. An nõ enim illi-
 citum est, si quæ sentiat se procreandis libe-
 ris aptam esse, & à uiri congressu abstinere
 non posse, castitatem tamen quam præstare
 non possit, uouere? Crescite inquit Deus &
 multiplicamini, hoc est, quæ castitatis donum
 nactæ non estis, uiris nubite, in quem usum eti-
 am creatæ estis. Præstat enim legitimo thoro
 alligatâ procreandis liberis operâ dare, quàm
 sub castitatis prætextu in omne libidinis genus
 præcipitem ferri. AGNESIVS. Huc for-
 tassiss illud quoque accommodari potest, quod
 de uiduis Paulus dicit: Iuniores uolo nube-
 re, & liberos procreare. BIERMAN-
 NVS. Recte. Quisquis enim continere non
 potest, siue masculus sit siue fœmina, conces-
 so ad eam rem diuinius remedio uti debet. Ne-
 que enim abs re idem Paulus dixit: Melius
 est nubere quàm uri. Crede mihi, non in

DE VOTIS

omnes competit, quod de Daphne scripsit
Ovidius:

Multi illam petiere, illa auersata petentes
Impatiēs, experseq; uiri nemora auia lustrat.
Nec quid Hymen, quid amor, quid sint cō-
nubia curat.

Libro, I.
Epistola
II.

Hinc Cyprianus de uirginibus quoq; iam pridē
dicatis inquit: Si autem perseuerare nolunt,
uel non possunt, melius est ut nubant, quā in
ignem delitijs suis cadant. An non hic nobiscū
sentit Cyprianus? Quid quod Christus quoq;
dicit: non omnes capiunt uerbum hoc? AG-
NESIVS. Nihil igitur habent, quod quis maxi-
mopere admiretur, ista monacharum contu-
bernia. BIERMAN. Adde quod etiam uota
earundē, cum factō tum opinione impia sunt.

votorū
impietas

Principio obedientia harum factō impia est,
quod à parentibus, à tutoribus, à parochis, à
magistratu, in obesos istos patres & quas ne-
scio matres transfertur. Ita opinione quoq; im-
pia est, quod se putant inuersa ista obedientia
cælum, quæ solum Christum fidei debetur,
emerituras. Deinde paupertas quoq; cum fa-
cto impia

M O N A S T I C I S .

cto impia est, quod sub hoc prætextu in aliena bona ingerunt sese, ocium quærentes, tum opinione, quòd mendacio isti suo iustitiam debere existimant. Postremo castitatis quoq; & factio impia est, quòd ihorum legitimum auersata neq; liberos procreât, neq; tamen interim castè uiuunt, & opinione, quòd isto opere salutem metuuntur. Breuiter: Quicquid nec factio nec opinione impium est, uouere in Christianismo licet. Neq; enim id genus uota Christianæ libertati officiant. Quicquid uero & factio impium est & opinione, uouere non licet. Libertas enim Euangelij hac ratione læditur, quam illabefactam in Christianismo modis omnibus conseruari oportuit. AGNES. Quid uetat igitur, quo minus tu in mei gratiam sororem meam à proposito deterreas? Certo enim obesis istis patribus præda hæc non obijcietur me uiuo. Quòd si nubere non uolet, istuc apud me quoque eidem liberum erit. Imò si uirginitatis propositum, Christo propicio, tueri perpetuo poterit, faciet rem ualde gratam mihi: tantum abest, ut uirginum sanctimonie insensus sim.

DE VOTIS

sus sim. Vnum hoc non feram, ut istis tam male castratis patribus ac fratribus, castitas illius concredatur. BIERMANNVS. Prudenter. Vere enim hoc esset, ueluti prouerbio dicitur, Quem lupo committere. Sed ego ubi commodum erit, ad te ueniam, periculum facturus, num à tali proposito deterreri queat. Spero etiam me effecturum aliquid, modo compos animi, ac monacharum istarum incantamentis non omnino subuersa sit. Iam me aliò rapiunt negocia. AGNESIUS. Sed heus proficiscemur ne unà Lipsiam ad futuras nundinas? BIERMANNVS. Modis omnibus. Quòd si profecturus eò iam ex negocio non essem, tamen uel propter mutatam ibi rerum faciem eò proficiscerer. AGNESIUS. Quid iam nunc Fiteliani, Lalueldiani, Ochsenfartiani & reliquæ sophistarum feci, putas esse animi? BIERMANNVS. Istuc quidem ubi uentum eò fuerit, audituri sumus. Interim nò illibenter credam, male propter amissum regnum adfectos esse. Neque enim tam subita rerum immutatio ibi expectabatur. Existimabant prius omnes

Lute-

M O N A S T I C I S .

Luteranos perditum iri, quàm id genus doctri-
næ in suas irrupturum esset ecclesias. Sed q̄ fal-
si hic opinione sunt, præsens rerum status indi-
cat. A G N E S I V S . Hæc mutatio est

dextræ excelsi . Vale . B I E R -

M A N N V S . Fateor, Sed

tu quoque

Vale.

Finis tertij libri Colloquiorum
theologicorum Antonij
Coruini.

LOCI HVIVS TERTII
LIBRI.

De sacrificio Missæ
De potestate Ecclesiæ
De Angelis
De Matrimonio
De Scandalo seu offendiculo
De Votis Monasticis.

DOCTO

DOCTO ET PIO IOANNI

Rosianero Goslariano, senatorij or-
dinis uiro Antonius Corui-
nus Salutem.



VIT per hosce dies apud
me Volumetius noster,
pædagogij uestri mode-
rator diligētissimus. Qui
cum mihi obitum uxoris

sue inter cætera, adeoque quàm pie expirarit,
exposuisset, non me profecto mediocri persu-
dit tristitia, præsertim quum compertum habe-
rem quanta semper inter illos fuerit animorum
coniunctio, ac mutui amoris firmitudo. Ut igitur
in defunctam quoque animi mei testarer be-
neuolentiã, cuius probitatem ac pietatem dum
uiuere semper admiratus sum, Epitaphium ei-
dem huius rei ceu testimoniũ quoddã facere li-
buit. Dum uero hoc ipsum meditor, ecce in me-
tem mihi Tilonis Ditinarii neglectus uenit, cu-
ius mortẽ cum primis familiariter me ferre de-
cebat. Quis enim unquam me maioribus adse-
cui be-

cit beneficijs? quis Coruinum amauit impensius? Quid moribus illius fuit candidius? Profecto non possum non uarie adfeci, quoties me cum recolo, quanto mœrore, quibus lachrymis discedentem me Goslaria ante decēnium profecutus sit. Facere igitur uel tandem quod officij mei exigebat ratio uolui. Hoc est, malus poëta, malis carminibus, de iuene omnium & candidissimo & optimo, testimonium ad posteritatem transmittere uolui. Istuc quicquid est, tibi mittendum censui, qui sororem illius in tam acerba morte solacij uice habes coniugem. Vale, & nostros omnes saluta diligenter. Habes in hoc libello & cōuiuij nostri descriptionem, ante annum in ædibus tuis celebrati. Ea

talis utinam sit, ut tibi placere possit. Certe animo sincerissimo in literas coniecta

est. Ex Vicenbusio Mense Augusto,
Anno

M. D. XXXIX.

Epi-

Epitaphium Tilonis Ditmarri ci-
uis Goslariani Autore
Coruino.

Funera si lachrymas iuges luctumq; merentur,
Si licet extinctos flere dolere uiros,
Dignus eras nostro proles Ditmarria planctu,
Cuius amicitiae praemia digna tuli.

Sed quia post fatū lachrymae funduntur inanes,
Hoc tibi pro meritis pignus amoris habe.

Imprecor ut tibi det caelestia gaudia Christus
Viq; beatus agas semper apud superos.

In terris famam, nomen, laudemq; decusq;
Si quod habet pōd^o carmina nostra dabūt.

Epitaphiū uxoris Michaelis Volu-
metij pædagogi Goslariani
eodem autore.

Hoc tegitur Margreta nouo Volumetia saxo
Ante diem Parcae quam rapuere deae.

Quod si sanctus amor sequeret forte sepultas,
Iā quoq; post cineres hæc placitura uiro est

Quem cū fecisset perpulchra prole parentem
Iuit in amplexus Christe adamata tuos.

FINIS.

2007820

